1/F

per £ 5.000 a
Lucca
Sett. 69




Per spezzar il [illegible] tondelo, e cibalo con 2. onze di
Vetro pesto [illegible] Tartaro pesti, à poco à poco, me-
nandolo con un bastone, et se sa fine, [illegible] lo fallo e getan
dentro parte una di gesso [illegible] et [illegible] di poco pesca in [illegible]
al rompere la pietra in 40 [illegible].

℞ Polvere fatta di noccciole salvatiche, cioe della
scorza finissima ʒ i. messa in un bichiero
di Vino rosso la sera, et poi si beua la matt.ª
il Vino con la polvere dentro, e se ne sia appa-
recchiato altretanto quando si va à dormire
et se fosse più grossa d'un Vovo si [illegible] in pezzetti.

Per la scolatione delle Reni

℞ Chiaro d'un ouo di Galina negra, e sbatolo, poi
lo incorporarai con olio rosato à poco à poco sbattendo
continuamente 2. oz. fin che si incorpora
bene et si facci Unguento bianco, col qle ungerai
il Patiente dalla nuca tutto lo spinoso fino à basso
al fine tirando in giù, et il Patiente stia [illegible]
e stia così fin tanto che l'Unguento si imbeua.

Altro p(er) rompere



R. sangue d'una lepre et a [illegible] fatta, [illegible] onc. 7. di
sassifragia. Abbruggia il t(utt)o insieme in vaso cuoto
accio il t(utt)o si converta in cenere. Poi il Patiente
ne piglia ogni matt(in)a á digiuno un cuchiaro
di d(ett)a polvere nell'acqua Cotta. E vedrà rompersi
la pietra, et urinarla.

Ad restringendum sanguinem ex naribus. R.
Albumina ovor(um) contritum agitata. Salviae [illegible]
pulverisatae. Pani aequ(e) [illegible] acciaiate, et fiat
emplastrum [illegible] [illegible] et [illegible] [illegible] applicet.
[illegible] [illegible] [illegible] cum novo emplastro hac applicatio
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible].

Ad restringendum fluxum sanguinis
Tormentillae pulverizatae quantum ponderat nummus
Hungaricus aureus in vino parum calido. [illegible] [illegible].

THEOLOGICAE RESOLVTIONES

EX PENETRALIBVS PERITIORUM Theologorum depromptæ,

ET AD COMMODVM STVDIOSORUM summa diligentia collectæ:

A REVER. PAVLO FRANZOSO Benacense, nec non Tridentinæ diœcesis,


IN COLLEGIVM PATAVINVM Sacræ Theologiæ cooptato.



BRIXIAE,
APVD POLYCRETVM TVRLINVM.

Permissu Superiorum.





ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISS.

D.D. LVDOVICO MADRVCIO S. R. E. Cardinali Tridenti Episcopo,

ET PRINCIPI OPTIMO, D. Colendissimo.

Paulus Franzosus. S. P. D.



IBELLVM resolutionum Theologicarum (Illustrissime Princeps, & Cardinalis amplissime) quem in gratiam, & commodum studiosorũ, superioribus mensibus, ex vberimis Sacræ Theologiæ fontibus hausi, sub tui faustissimi nominis auspicio in lucem proferre statui, tibiquè potissimum nuncupandum censui: tum vt, meam, qua te reuereor, singularem obseruantiam tibi patefacerem: tum, vt aliqua ex parte, propter tua in me merita, aliquam grati animi significationem darem, penitusq; me amplitudini tuæ deditum,

addictum, atque obstrictum esse omnibus testatum relinquerem: tum deniquè vt tuo nomine insignitus Honoratior in lucem exiret. Et cui quæsò conuenientius, atq; decentius quàm amplitudini tuæ inscribi poterat? cùm innumeras animi virtutes summa cum nobilitate, & dignitate coniunxeris? Taceo hic maiorum tuorum res, præclarè & sapienter gestas: Taceo dignitates & legationes, quibus Madruciæ Familiæ Heroes fuerunt decoratæ: Taceo miram Prudentiam, spectatissimam fidem, incredibilem constantiam in summis Regum, ac Imperatorum muneribus obeundis: Taceo admirabilem in rebus gerendis vigilantiam, inauditam animi magnitudinem, & in maximis negotijs dijudicandis dexteritatem insignem, non mediocri cum humanitate coniunctam. Etenim cui [illegible]um morum suauitas non est perspecta? cui vitæ totius innocentia, atquè integritas non cognita? cui in probis fouendis, ac literatis promouendis animus propensus non est exploratus? Cui deniquè incredibilis in omnes etiam humiles, & abiectos affabilitas, ac liberalitas est obscura? Hæc sunt splendidissima lumina, quibus actiones tuas illustrissimas reddidisti, hæc insignia, atquè ornamenta, quibus meruisti à

sti à

ſti à Summis Pontificibus mirabiliter amari, amplisſimis honoribus affici, & ſupremo Sanctæ Romanæ Inquiſitionis Officio præponi. Quare non mirum ſi omnes te admirantur, venerantur, ac ſummis præconijs extollunt. eo igitur animo pro ſingulari tua humanitate hoſce mearum vigiliarum primos labores accipe, quo gratisſimo, & libentisſimo tibi affero. Vale Ripæ ſexto Kalendas ſextilis 1592.

QVAESTIONVM THEOLOGICARVM,

QVAE IN HOC LIBRO continentur.

INDEX.



De Angelis.

vtrum om-

De vitijs, & peccatis.

vtrum

Vtrum De-

De incarnatione.

De Sacramentis.

vtrum Sa-

De Baptiſmo.

vtrum par-

De Confirmatione.

De Sacramento Eucharistiæ.

De pœnitentia.

vtrum con-


De extrema vnctione.

De Ordine.

De Matrimonio.

De Resurrectionis, Iudicij & conditione.

FINIS.



QVAESTIONVM PRIMA EST TALIS.

Vtrum Deus sit subiectum Theologiæ.

RESOLVTIO.

DICENDVM est secundum D.Bonauent. in prologo primi sent. Q.1. quòd Deus dicitur esse subiectum Theologiæ radicale. Christus verò subiectum integrale. res autem & signa sunt subiectum vniuersale. Deus dicitur subiectum radicale, quia omnia habent ordinem ad Deum, vt ad principium, & ad finem. Christus est subiectum integrale, in quantum comprehendit Diuinam naturam, & humanam, siue creatam, & increatam: res verò, & signa sunt subiectum vniuersale, quia tota sacra scriptura versatur vel circa res, vel circa signa.

Vtrum semper de Deo agatur in Theologia.

RESOLVTIO.

Dicendum est, quòd sic, sed diuerso modo. nam quatuor, sunt Sacræ Theologiæ Tractatus, in quorum primo agitur de Deo absolutè secundum rationem suæ naturalis perfectionis. in secundo determinatur de Deo, quatenus eius potentia relucet in effectu creationis. in Tertio autem tractatur de Deo, in quantum eius sapientia clara est in opere redemptionis. in Quarto vero, & vltimo agitur de Deo, quatenus eius bonitas, seu clementia refulget in fructu glorificationis. præterea, in primo agitur de rebus fruibilibus. in Secundo de rebus vtibilibus. in Tertiò de vtibilibus ordinatis ad fruibilia. in Quarto verò de signis. Vndè manifestum est, quòd in Theologia semper agitur de Deo, diuersimodè tamen, vt dictum est.

Vtrum Deum esse sit per se notum.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum. D. Tho. in 1. part. Q. 2. art. 1. quòd hæc propositio, Deus est, quantum in se, per se nota est: quia prædicatum est idem cũ subiecto. Deus enim est suum esse,

esse, & sua diuina essentia est ipse Deus. sed quia nos ignoramus Deum esse à priori, non est nobis per se nota, sed indiget demonstrari per ea, quæ sunt magis nota quo ad nos, scilicet per effectus, & minus nota quo ad naturam, non quòd natura cognoscat, cùm omnis notitia sit nostra, sed quia nos cognoscimus aliquid via, & ordine, quo natura procedit in operando, videlicet à causa ad causatum. Vndè, cùm à causa non possimus scire Deum esse, necesse est, quòd à posteriori, .s. ab effectu perueniamus in cognitionem causæ primæ, & vniuersalis, scilicet ipsius Dei Opt. Max. qui prima omnium est entium causa.

Vtrum Deum esse sit demonstrabile.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum. D. Th. in 1. par. Q. 2. art. 2. quòd duplex est demonstratio. Vna, quæ est per causam, & dicitur propter quid. Alia, quæ est per effectum, & dicitur demonstratio quia: prima est per priora simpliciter, secunda verò est per ea, quæ sunt priora quo ad nos: cùm enim effectus aliquis nobis est manifestior, quàm sua causa, per effectum procedimus ad cognitionem causæ. ex quolibet autem effectu potest demonstrari propriam causam eius esse, si tamen (vt dictum est (eius effectus sint ma-

gis: noti quo ad nos, quia cùm effectus dependeant à cauſa, poſito effectu neceſe eſt cauſam præexiſtere. & ſic ex effectibus Dei, poteſt demonſtrari Deum eſſe: nam Deum eſſe, quatenus non eſt per ſe notum quo ad nos, demonſtrabile eſt per effectus nobis notos.

Vtrum Deus ſit corpus.

RESOLVTIO.

Dicendum eſt ſecundum D. Tho. in 1. part. Q. 3. art. 1. quòd Deus abſolutè non eſt corpus; ſed purè incorporeus, quòd ſic patet: omne corpus eſt mobile ſecundum Philoſophum, Deus autem omninò immobilis eſt, ergo Deus non eſt corpus, ſed actus purus, incorporeus, & maximè ſimplex, nam, vt dicitur Ioan. 4. Deus ſpiritus eſt. præterea, nullum corpus mouet niſi moueatur, Deus autem mouet non motus, ergo Deus non eſt corpus. Vlterius, omne corpus habet eſſe ab alio, Deus autem à nullo recipit eſſe, imò ipſe eſt ſuum eſſe, & ſua diuina eſſentia, & cauſa prima omnium exiſtentium in natura creata, ergo Deus non eſt corpus, ſed penitus incorporeus, independens, actus purus, & apud quem non cadit tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.

Vtrum

Vtrum Deus sit omninò simplex.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D. Thom. in 1. part. Quæst. 3. arti. 7. quòd Deus est maximè simplex, quia non est corpus, non est forma, non est materia, deniq; Deus non est creatura aliqua, sed creator omnium, quæ sunt, siue sint corporea, siue sint incorporea. Vndè absolutè dicendum est, quòd Deus sit omninò simplex.

Vtrum in Deo sint omnes perfectiones.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D. Thom. in 1. part. Quæst. 4. artic. 2. quòd verè in Deo sunt omnium rerum perfectiones; nam si in re producta reperitur aliqua perfectio, multo magis modo eminentiori debet reperiri in causa producente; sed cùm Deus omnium sit causa, sequitur etiam quòd omnes perfectiones modo eminentiori sint in ipso Deo.

Vtrum omnia, quæ sunt, bona sint.

RESOLVTIO.

Dicendum est, quòd sic, cuius ratio est, quia cum Deus sit bonus, non potest mala per

ipsum creatura produci, vt dicitur in 2. sentent. distinct. 3. Vndè, Sap. Cap. 11. nihil odisti eorum quæ fecisti. & Gen. 1. vidit Deus cuncta, quæ fecerat: & erant valde bona: & hoc est, quia omnia bona sunt in sui natura 1. Tim. 4. bona est omnis creatura. præterea omne ens per actum, qui actus quædam est perfectio, quatenus ens, bonum est, quia omne ens est tale vt dicit Aristoti. in 2. de anima, ergo omne ens est bonum quatenus ens est, licèt respectu adiuncti, aliquod ens possit esse malum. Vndè manifestum est, quòd omnia, quæ sunt, quatenus talia sunt, bona sunt.

Vtrum solus Deus sit bonus per suam essentiam.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Thom. in 1. part. Quæst. 6 art. 3. quòd solus Deus est bonus per suam essentiam; quoniam solius Dei essentia est suum esse, & cui non adueniunt aliqua accidentia, sed quòd alijs conuenit accidentaliter, sibi conuenit essentialiter, vt esse potentem, sapientem & huiusmodi; ipse etiam non ordinatur ad aliud vt ad finem, sed ipse est finis vltimus omnium rerum. Vndè manifestum est, quòd solus Deus habet omnimodam perfe-

perfectionem secundum suam essentiam, & per consequens ille solus est per suam Diuinam essentiam bonus.

Vtrum Deus sit in omnibus rebus & vbique.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundnm D. Thom. in 1. part. Quæst. 8. art. 1. & 2. quòd Deum esse in omnibus rebus, & vbique potest considerari dupliciter. Vno modo effectiuè (scilicet per modum causæ efficientis) & virtualiter. Alio modo formaliter, & circumscriptiuè. Deus igitur primo modo dicitur esse in omnibus rebus, & vbique, quia omnium rerum dicitur esse causa efficiens, & non solum locis, sed etiam omnibus loca replentibus esse tribuit. Secundo autem modo, Deus non est in omni loco, quoniam solum corpus formaliter, & circumscriptiuè est in loco. Vndè, cùm Deus non sit corpus, sed purè incorporeus, (vt dictum est) consequens est, quòd non sit vbique formaliter, sed solùm per modum causæ efficientis, vt dictum est.*

Vtrum Deus dicatur esse in Dæmonibus.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum. D. Tho. in 3. part. Q. 8. art. 1. in resp. ad 4. quòd Dæmones*

possunt

poßunt considerari dupliciter. Vno modo quatenus sunt res quædam, scilicet creaturæ. Alio modo inquantum sunt dæmones, scilicet creaturæ, propter culpam, deformes. Si igitur Dæmones considerentur primo modo, quatenus scilicet sunt creaturæ quædam; sic Deus dicitur esse in Dæmonibus, cùm sit in omnibus rebus creatis. si verò considerentur Dæmones secundo modo, quatenus scilicet deformes sunt per culpam: sic Deus non eſt in Dæmonibus.

Vtrum Deus sit vbique per præsentiam, essentiam, & potentiam.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum Thom. in* 1. *par. Q.* 8. *art.* 3. *quòd solus Deus dicitur esse in omnibus rebus creatis per potentiam, præsentiam, & essentiam; per potentiam quidem, in quantum omnia ipsi Deo subduntur; per præsentiam, in quantum omnia nuda, & aperta sunt oculis eius: per eßentiam quatenus omnia, quæ sunt, habent esse ab ipso Deo, qui eſt ipsamet sua essentia, & causa omnium existentium in natura creata.*

Vtrum Deus sit omnino immutabilis.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum. D. Thom. in 1. part. Q. 9. art. 1. quòd Deus omninò immutabilis est, vt dicitur Mal. 3. ego Deus & non mutor. præterea, Deus est actus purus absque permistione alicuius potentiæ, ergo immutabilis est, nam quòd mutatur, est aliquo modo in potentia. ex quo patet, quòd impossibile est Deum aliquo modo mutari.

Vtrum Deus sit æternus.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Thom. in 1. part. Q. 10. art. 2. quòd soli Deo propriè conuenit æternitas, quia ratio æternitatis consequitur immutabilitatem, sicut ratio temporis consequitur motum; Vndè, cum Deus sit maximè immutabilis, sibi etiam maximè competit esse æternum. nec solùm est æternus; sed est sua ipsamet æternitas, sicut sua essentia.

Vtrum Deus sit vnus.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D. Tho. in 1. part Q. 11. art. 3. & D. Bonauent. in 1. sent. dist.

dist. 2. Q. 1. & Scotum ibidem Q. 3. quòd tantùm vnus est Deus, secundum illud Ephes. 4. vnus Deus, vna fides, vnum baptisma, & Deuter. 6. Audi Israel, Dominus Deus tuus Vnus est. Vndè simpliciter, secundum fidem Catholicam, credere, & affirmare debemus, Deum essentialiter esse tantùm Vnum, quoniam diuina essentia est vna, & si plures essent diuinæ essentiæ, plures essent Dij: quòd omninò negandum est: nam oporteret eos adinuicem differre, sed cùm in Deo nulla sit differentia, nec essentialis, neque accidentalis, sequitur dicendum, quòd tantum vnus sit Deus.

Vtrum Deus possit simul esse Trinus, & Vnus.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Magist. in 1. sent. dist. 2. & Scotum ibidem Q. 4. quòd sic. dixit enim Deus Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Ideò per hoc, quòd dicit faciamus, & nostram, ostenditur pluralitas personarum: per hoc verò, quòd dicit, ad imaginem, ostenditur vnitas essentiæ: quia secundum Hilarium, vbi est imago, & similitudo solet esse vnitas charitatis. confirmatur hoc etiam aut. noui Testamenti, in

quit

quit enim Ioannes in Epiſtola Canonica 1.c.5. Tres ſunt, qui teſtimonium perhibent in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres Vnum ſunt. Vndè, quilibet catholicus firmiter credere debet, Deum eſſe Trinum, & Vnum, Trinum in perſonis, Vnum verò in eſſentia: neque aliqua eſt contradictio, nam poſſibile eſt (vt dicit Scotus loco citato) cum vnitate Diuinæ eſſentiæ pluralitatem eſſe perſonarum, ratio eſt, quia contradictio ſecundum Ariſt. eſt affirmatio, & negatio eiuſdem rei, & nominis, Ideo Vnitas, & Pluralitas perſonarum, non ſunt ſecundum Idem, quia vnitas eſt ſecundum eſſentiam, & pluralitas, eſt ſecundum perſonas; Vndè, non eſt pluralitas & vnitas ſecundum Idem, quia eßentia Diuina, & perſona diſtinguuntur ex natura rei, vel formaliter ſecundum nos, ad contradictionem autem requiritur non ſolùm identitas rei, ſed etiam nominis. exemplum primi, Marcus currit, Cicero non currit, licèt res ſit eadem non tamen vox. exemplum ſecundi. Vnita eſſentiæ, & pluralitas perſonarum, licèt ſit idem re, non tamen eſt identitas nominis, quod requiritur ad contradictionem. Vndè, manifeſtum eſt, quòd Deus, ſine contradictione aliqua, poteſt eße ſimul Trinus, & Vnus.

Vtrum

Vtrum aliquis intellectus creatus poſſit videre Deum per eſſentiam.

RESOLVTIO.

Dicendum eſt ſecundum Thom in 1. part. Q. 12. art. 1. quòd ſic, dicitur enim 1. Io. 1. videbimus enim ſicuti eſt: Deus autem eſt ſua diuina eſſentia, & ſua eſſentia eſt ipſe Deus, ergo intellectus creatus poteſt Deum per eſſentiam videre. præterea, ſi intellectus creatus nunquàm eßentiam Dei videret, vel nunquâm Beatitudinem obtineret, vel in alio eius Beatitudo conſiſteret, quàm in Deo, quòd eſt alienum à fide; in ipſo enim eſt vltima perfectio rationalis creaturæ. præterea, vnumquodque perfectum eſt in quantum ad ſuum principium attingit, ſi igitur intellectus rationalis creaturæ pertingere non poſſit ad primam cauſam rerum, remanebit inane deſiderium Naturæ. Vndè concedendum eſt, quòd Beati Dei eßentiam videant.

Vtrum eſſentia Dei poſſit videri oculis corporeis.

RESOLVTIO.

Dicendum eſt ſecundum. D. Thom. in 1. part. Q. 12. art. 3. quòd impoſſibile eſt, Deum videri ſenſu viſus, vel quocunque alio

alio sensu ; nam omnis actus proportionatur ei cuius est actus, sed cùm potentia visiua non se extendat vltra corporalia ; sequitur dicendum, quòd nec eßentia Dei oculis corporis videri possit, cùm Deus sit maximè incorporeus, vt suprà ostensum est. Vndè, nec sensu, nec imaginatione, eßentia Dei videri potest, sed solo intellectu.

Vtrum intellectus creatus ad videndum Deum indigeat aliquo creato lumine.

RESOLVTIO.

DIcendum est secundum Thom. in 1. part. Quæst. 12. artic. 5. quòd sic, nam omne quod eleuatur ad aliquid, quod excedit suam Naturam, oportet quòd disponatur aliqua dispositione, quæ sit supra suam naturam: sicuti, si aer debeat accipere formam ignis, oportet quòd disponatur aliqua dispositione ad talem formam. cùm igitur intellectus creatus videt Deum per eßentiam, ipsa essentia Dei fit forma intelligibilis ipsius intellectus. Vndè, oportet, quòd aliqua dispositio supernaturalis ei superaddatur ad hoc quòd eleuetur in tantam sublimitatem ; virtus enim naturalis ipsius intellectus creati non sufficit ad eßentiam Dei videndam, & cùm non

suffi-

ſufficiat, oportet quòd ex diuina gratia ſuper accreſcat ei virtus intelligendi ad hoc, quòd intellectus fiat potens ad videndam Dei eſſentiam. Vndè, manifeſtum eſt, quòd intellectus creatus aliquo indiget creato lumine ad eſſentiam Dei videndam.

Vtrum videntium eſſentiam Dei vnus alio perfectius videat.

RESOLVTIO.

D*Icendum eſt ſecundum D.Thom. in 1. par. Q. 12. art. 6. quòd ſic. animatuertendum tamen eſt, quòd hoc non erit per aliquam Dei ſimilitudinem perfectiorem in vno, quàm in alio, cùm illa viſio non ſit futura per aliquam ſimilitudinem; ſed hoc erit per hoc, quia intellectus vnius habebit maiorem virtutem, ſeu facultatem ad videndum Deum, quàm alterius. facultas autem videndi Deum non competit intellectui creato ſecundum ſuam eſſentiam, vel naturam: ſed per lumen gloriæ: quod intellectum in quadam Deiformitate conſtituit, vt dictum eſt. Vndè intellectus plus participans de lumine gloriæ, perfectius Deum videbit: plus autem participabit de lumine gloriæ, qui plus habet de charitate: quia vbi eſt maior charitas, ibi eſt maius deſiderium: deſiderium verò quodammodo*

modo facit desideratum aptum, & paratum ad susceptionem desiderati. Vndè, relinquitur, quòd, qui maiorem habuerit charitatem, perfectius Deũ videbit, & beatior erit.

Vtrum videntes Deum per essentiam ipsum comprehendant.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundũ Th. in 1.part.Q.12. art. 7. quòd comprehendere Deum impossibile est cuicunque intellectui creato, ratio est ista, quia sicuti Deus est infinitus, similiter etiã infinitæ est cognitionis, & per consequens incomprehensibilis est. vnumquodque enim cognoscibile est, quatenus actu ens est: Deus igitur cuius esse est infinitum, infinitè cognoscibilis est, Nullus autem intellectus creatus potest Deum infinitè cognoscere; nam in tantum intellectus creatus diuinam essentiam, perfectius, vel minus perfectè cognoscit, in quantum maiori, vel minori lumine perfunditur gloriæ: cùm igitur lumen gloriæ creatum in quocunque intellectu creato receptum, non possit esse infinitum, impossibile est, quòd aliquis intellectus creatus Deum infinitè cognoscat. Vndè, impossibile etiam est, quòd Deum comprehendat.

Vtrum videntes Deum omnia in ipso videant.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D. Th. in 1. part. Q. 12. art. 8. quòd non, nam sicuti nullus intellectus creatus totaliter Deum comprehendere potest, vt dictum est, similiter nullus intellectus creatus, videndo Deum, potest cognoscere omnia, quæ Deus facit, vel facere potest. hoc enim est comprehendere eius virtutem. & sic manifestum est, quòd nullus intellectus creatus, videndo Deum, potest omnia, quæ in Deo sunt, videre; sed horum, quæ Deus facit, vel facere potest tanto aliquis intellectus plura cognoscit, quanto perfectius Deum videt.

Vtrum aliquis in hac Vita poßit videre Deũ.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D. Th. in 1. part. Q. 12. art. 11. quòd ab homine puro Deus videri non potest, nisi ab hac vita mortali separetur. cuius ratio est; quia modus cognitionis sequitur modum naturæ rei cognoscentis: Anima autem nostra, quamdiu in hac vita viuimus, habet esse in materia corporali. Vndè naturaliter non cognoscit aliqua, nisi quæ habent formam in materia:

teria: vel quæ per huiusmodi cognosci possunt. Manifestum autem est quòd Deus est incorporeus, independens, & actus purus; ergo per naturas rerum materialium cognosci non potest. Vndè relinquitur, quòd anima nostra, quamdiu hac vita mortali vtitur, videre Deum nullo modo possit.

Vtrum Deus comprehendat seipsum.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundũ Th. in 1. par. Q. 14. art. 3. quòd sic, nam omne, quod intelligit se, comprehendit se: vt dicit Aug. sed Deus intelligit se, igitur Deus comprehendit se. præterea, quando res cognoscitur, ita perfectè, sicuti cognoscibilis est, comprehenditur: sed cùm Deus ita perfectè cognoscat seipsum, sicuti perfectè cognoscibilis est, necesse etiam est, quòd perfectè seipsum comprehendat. Vndè, manifestum est, quòd tantum seipsum cognoscit, quantum cognoscibilis est. & propter hoc, seipsum perfectè comprehendit.*

Vtrum intelligere Dei sit aliud quàm eius substantia.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum D. Th. in 1. part. Q. 14. art. 4. quòd intelligere Dei non*

eſt aliud, quàm eius ſubſtantia; nam in Deo non eſt forma, quæ ſit aliud, quàm ſuum eſſe. Vndè cùm ipſa ſua eſſentia etiam ſit ſpecies intelligibilis, ex neceſſitate ſequitur, quòd ipſum eius intelligere ſit eius eſſentia, & eius eſſe. in Deo enim intellectus, & id quòd intelligitur, & ſpecies intelligibilis, & ipſum intelligibile, & ipſum intelligere, ſunt omninò vnum, & idem. & ſic intelligere Dei non eſt aliud, quàm eius ſubſtantia.

Vtrum Deus cognoſcat alia à ſe.

RESOLVTIO.

DIcendum eſt ſecundum Th. in 1. par. Q. 14. art. 5. quòd ſic. nam cùm Deus ſe extendat ad alia à ſe, eo quòd ipſe eſt prima cauſa effectiua omnium rerum, conſequens eſt, quòd etiam alia à ſe cognoſcat, non in ſeipſis, ſed in ſeipſo, inquantum. ſ. eſſentia ſua continet ſimilitudinem aliorum ab ipſo. Vndè, quicunque effectus præexiſtunt in Deo, ſicut in cauſa prima, neceſſe eſt, quòd ſint in ipſo eius intelligere: & quòd omnia in eo ſint ſecundum modum intelligibilem, nam omne, quòd eſt in alio, eſt in eo ſecundum modum eius, in quo eſt.

Vtrum Deus habeat scientiam non entium.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D. Th. in 1. part. Q. 14. art. 9. quòd Deus scit omnia, quæ sunt quocunque modo. ea verò, quæ simpliciter non sunt, nihil prohibet aliquo modo esse; nam simpliciter sunt, quæ actu sunt, illa verò quæ non sunt actu, sunt in potentia, vel ipsius Dei, vel creaturæ: siue in potentia actiua, siue in passiua: siue in potentia opinandi vel imaginandi: vel quocunque modo significandi. quæcunque igitur possunt per creaturam fieri, vel cogitari, vel dici, & etiam quæcunque ipse facere potest, omnia cognoscit Deus: etiam si actu non sint secundum illud Apost. ad Rom. 4. qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt. & pro tanto dici potest, quòd Deus habet etiam scientiam non entium. sed horum quæ actu non sunt, est attendenda quædam diuersitas. Quædam enim licèt non sint nunc in actu, tamen vel fuerunt, vel erunt: & omnia ista Deus dicitur scire scientia visionis. quædam verò sunt, quæ sunt in potentia Dei, vel creaturæ, quæ tamen nec sunt, nec erunt, neque fuerunt; & respectu ho-

rum non dicitur habere ſcientiam viſionis, ſed ſimplicis intelligentiæ.

Vtrum Deus cognoſcat mala.

RESOLVTIO.

D*Icendum eſt ſecundum Thom. in* 1. *part. Q.* 14. *art.* 10. *quòd ſic, nam quicunque perfectè cognoſcit aliquid, oportet quòd cognoſcat etiam ea omnia, quæ poſſunt illi accidere. ſunt autem quædam bona, quibus accidere poteſt, vt per mala corrumpantur: Vndè, Deus non perfectè cognoſceret bona, niſi etiam cognoſceret mala. Sic autem, vnumquodque eſt cognoſcibile, ſecundum quod eſt: Vndè, cùm hoc ſit eſſe mali, quòd eſt priuatio boni, per hoc ipſum quod Deus cognoſcit bona, cognoſcit etiam mala, ſicuti per lucem cognoſcuntur tenebræ.*

Vtrum Deus ſingularia cognoſcat.

RESOLVTIO.

D*Icendum eſt ſecundum Thom. in* 1. *part. Q.*14.*art.* 11. *quòd ſic, nam omnes perfectiones in creaturis inuentæ, in Deo præexiſtunt ſecundum altiorem modum; ſed cognoſcere ſingularia pertinet ad noſtram perfectionem:*

ctionem: ergo necesse est, quòd Deus singularia cognoscat. Nam & Philosophus pro inconuenienti habet, quòd aliquid cognoscatur à nobis, quòd non cognoscatur à Deo. præterea, Deus cùm sit primum principium rerum omnium, necesse est etiam, quòd sit principium sufficiens omnia cognoscendi, quæ per ipsum fiunt, non solùm in vniuersali, sed etiam in singulari. relinquitur ergo, quod Deus singularia cognoscat.

Vtrum Deus futura contingentia cognoscat.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum Th. in 1. part. Q. 14. art. 13. quòd sic, nam cùm Deus sciat omnia, non solùm quæ actu sunt, sed etiam quæ sunt in potentia sua, vel creaturæ, (horum autem quædam sunt contingentia nobis futura) necesse est, quòd etiam futura contingentia cognoscat: sciendum tamen est, quòd licèt contingentia fiant in actu successiuè, non tamen Deus successiuè contingentia cognoscit, pro vt sunt in suo esse, sicut nos, sed simul: quia sua cognitio mensuratur Aeternitate, sicuti etiam suum esse. Aeternitas verò tota simul existens ambit totum tempus. Vndè om-*

nia, quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia, & sic manifestum est, quòd contingentia infallibiliter à Deo cognoscuntur: inquantum subduntur Diuino conspectui, secundum suam præsentialitatem, & tamen sunt futura contingentia, suis causis comparata.

Vtrum Ideæ sint.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Th. in 1. par. Q. 15. art. 1. quòd necesse est ponere in mente Diuina Ideas. Idea enim Græcè, Latinè forma dicitur. Vndè per Ideas intelliguntur formæ aliarum rerum præter ipsas res existentes: forma verò alicuius rei præter ipsam existens potest considerari dupliciter; vel vt sit exemplar eius, cuius dicitur forma: vel vt sit principium cognitionis ipsius, quatenus scilicet formæ cognoscibilium dicuntur esse in cognoscente. & quantum ad vtrunque necesse est ponere Ideas: quòd sic patet. in omnibus, quæ non à casu generantur, necesse est formam esse finem cuiuscunque generationis. Agens autem non ageret propter formã, nisi quatenus similitudo formæ est in ipso, quòd quidem contingit dupliciter. in quibusdam enim Agentibus præexistit forma rei fiendæ secundum esse naturale, sicut in his, quæ agunt per naturam;

sicut

sicut homo generat hominem, & ignis ignem. in quibusdam verò secundum esse intelligibile, vt in his, quæ agunt per intellectum, sicut similitudo Domus præexistit in mente Aedificatoris; & hæc potest dici Idea Domus: quia Artifex intendit Domum assimilare formæ, quam mente concepit. quia igitur mundus non est casu factus, sed est factus à Deo per intellectum agentem, necesse est quòd in mente Diuina sit forma, ad similitudinem cuius mundus factus est. & in hoc consistit ratio Ideæ.

Vtrum in Deo sit voluntas.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum Th. in 1. part. Q. 19. art. 1. quòd sic, nam vbi est intellectus, ibi etiam necessariò est voluntas, sed in Deo est intellectus, ergo & voluntas. voluntas enim intellectum consequitur. Vndè, oportet in Deo esse voluntatem, cùm sit in eo intellectus. & sicut suum intelligere est suum esse, ita suum velle.*

Vtrum Voluntas Dei sit causa rerum.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secũdum. D. Th. in 1. part. Q. 19. art. 14. quòd sic, nam Deus agit per voluntatem,*

tatem, non per necessitatem naturæ, quia effectus procedunt à causa agente, secundum quod præexistunt in ea: eo quòd omne agens agit sibi simile. præexistunt autem effectus in causa secundum modum causæ. Vndè cùm esse diuinum sit ipsum eius intelligere: præexistunt in eo effectus eius secundum modum intelligibilem, & per modum intelligibilem procedunt ab eo, & sic per consequens per modum voluntatis. Nam inclinatio eius ad agendum, quòd intellectu conceptum est, pertinet ad voluntatem. Voluntas igitur Dei est causa rerum.

Vtrum Voluntas Dei semper impleatur.

RESOLVTIO.

DIcendum est secundum Mag. in 1. sent. dist. 47. & D. Thom. in 1. part. Q. 19. art. 6. quòd voluntas Dei semper impletur: & ratio huius est, quia quamuis contingat aliquid fieri extra ordinem alicuius causæ particularis Agentis, non tamen fit aliquid extra ordinem alicuius causæ vniuersalis, sub qua omnes causæ particulares comprehenduntur: quia si aliqua causa particularis deficiat à suo effectu, hoc est propter aliquam aliam causam particularem impedientem, quæ continetur sub ordine causæ vniuersalis. Vndè, effectus nullo modo

ordinem

ordinem causæ vniuersalis exire potest. Cùm igitur Voluntas Diuina sit vniuersalis causa omnium rerum, impossibile est, quòd Dei voluntas suum effectum non consequatur. & Ideò quod recedere videtur à Diuina voluntate secundum vnum ordinem, relabitur in ipsam secundum alium. sicut peccator, qui quantum est in se, recedit à Diuina voluntate, peccando, tamen incidit in ordinem Diuinæ voluntatis, Dum per eius Iustitiam punitur; nam qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui verò mala in ignem æternum. nec obstat illud Apost. quòd Deus velit omnes homines saluos fieri, quoniam intelligitur de voluntate antecedente, non de consequente. exemplum de primo modo. Iudex Iustus, vult omnem hominem viuere, scilicet antecedenter. exemplum secundi. Iudex Iustus vult homicidam suspendi, scilicet voluntate consequente. similiter Deus antecedenter vult omnem hominem saluari, sed consequenter vult quosdam damnari, secundum exigentiam suæ iustitiæ. Vndè manifestum est, quòd voluntas Dei semper impletur.

Vtrum Deus habeat liberum arbitrium?

RESOLVTIO.

Dicendum est secũdum Th. in 1. part. Q. 19. art. 10. quòd sic, nam cum Deus ex necessitate velit suam bonitatem, alia verò à se non ex necessitate, necesse est, quòd respectu horum habeat liberum arbitrium; ratio est, quia liberum arbitrium est eorum, quæ non necessariò, vel instinctu naturali sunt volita; non enim animalia, quæ naturali instinctu mouentur ad aliquid, dicuntur libero arbitrio moueri. Deus itaquè habet liberum arbitrium, vt dictum est.

Vtrum Deus æqualiter omnia diligat.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D. Th. in 1. part. Q. 20. art. 3. quòd cùm amare sit velle bonum alicui, duplici ratione potest aliquid magis, vel minus amari. Vno modo ex parte ipsius actus voluntatis, qui est magis, vel minus intensus, & sic Deus non magis quædam alijs amat, quia omnia amat vno, & simplici actu voluntatis, & semper eodem modo se habente. Alio modo ex parte ipsius boni, quod aliquis vult amato. & sic dicimur aliquem magis alio amare, cui volumus maius bonum; quamuis non magis

gis intensa voluntate. & hoc modo Deus quædam alijs magis amat. cùm enim amor Dei sit causa bonitatis rerum, vt dictum est, non esset aliquid alio melius, si Deus nollet vni maius bonū, quàm alteri; Vndè, videmus, quòd rationabilia Deus ordinauit ad Vitam æternã, non autem irrationabilia.

Vtrum omnia subiaceant Diuinæ prouidentiæ,

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum Th. in 1. part. Q.22. art. 2. quòd sic, nam cùm prouidentia nihil aliud sit, quàm ratio ordinis rerum in finem, necesse est, omnia, inquantum participiant esse, intantum subdi Diuinæ prouidentiæ. similiter dictum est, quòd Deus omnia cognoscit, & vniuersalia, & particularia. & cùm eius cognitio comparetur ad res, sicut cognitio artis comparatur ad artificiata, necesse est, quòd omnia supponantur suo ordini, sicut omnia artificiata subduntur ordini artis. Omnia itaquè subiacent Diuinæ prouidentiæ.*

Vtrum homines prædestinentur à Deo.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum Th. in 1. part. Q.23. art. 1. quòd maximè conueniens est Deo hominem*

minem prædestinare: ratio autem huius est, quia omnia diuinæ prouidentiæ subiacent: ad prouidentiam autem pertinet res in finem ordinare, finis autem, ad quem res creatæ ordinantur à Deo, est duplex. Vnus qui excedit proportionem naturæ creatæ, & facultatem; & iste finis est Vita æterna, quæ in diuina visione consistit, quæ est supra naturam cuiuslibet creaturæ. Alius autem finis est Naturæ creatæ proportionatus, quem scilicet res creata attingere potest secundum virtutem suæ naturæ. cùm igitur rationalis creatura. propriè loquendo, non possit virtute suæ naturæ in tãtam sublimitatem peruenire, necesse est, quòd ab alio. s. à Deo transmittatur: cuius quidem ratio transmissionis in Deo praexistit, sicut & in eo est ratio ordinis omnium in finem, quam prouidentiam vocamus. Vndè, ratio prædictæ transmissionis creaturæ rationalis in finem Vitæ æternæ, prædestinatio nominatur. & sic manifestum est, quòd à Deo homines prædestinantur.

Vtrum Deus aliquem reprobet.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum D. Th. in 1. part. Q. 23. art. 3. quòd sic, nam (vt dictũ est) prædestinatio est pars prouidentiæ: ad prouidentiam autem pertinet permittere aliquem*

deffectum

deffectum in rebus, quæ prouidentiæ subduntur. Vndè, cùm per diuinam prouidentiam, homines in vitam æternam ordinentur, pertinet etiam ad Diuinam prouidentiam, vt permittat aliquos ab hoc fine deficere; & hoc dicitur reprobare. sic igitur, sicut prædestinatio est pars prouidentiæ respectu eorum, qui diuinitus ordinantur in æternam salutem: ita reprobratio est pars prouidentiæ respectu illorum, qui ab hoc fine decidunt. & sicut prædestinatio includit voluntatem conferendi gratiam, & gloriam; ita reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi Damnationis pœnam pro culpa.

Vtrum prædestinatio sit certa.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum eundem Th. in 1. part. Q. 23. art. 6. quòd prædestinationém esse certam contingit dupliciter, vel ex parte prædestinantis, scilicet ipsius Dei; & sic est certa, & infallibilis. Deus enim vult omnes homines saluos fieri. vel ex parte ipsius prædestinati, scilicet ex parte nostri liberi arbitrij, quod cõtingenter se habet ad prædestinationem; & sic prædestinatio est incerta, nec inponit necessitatẽ. Vndè quamuis prædestinatio ex parte sui certissime, & infallibiliter consequatur suũ effectum, non tamen

tamen imponit necessitatem, vt scilicet effectus eius ex necessitate proueniat. De numero autem omnium prædestinatorum quis sit: dicunt quidam, quòd tot homines saluabuntur, quot remanserunt Angeli, quidam verò, quòd tot homines saluabuntur, quot Angeli ceciderunt. Sed melius dicitur, quòd soli Deo est cognitus numerus electorum in superna felicitate locandus.

Vtrum Deus sit omnipotens.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D. Th. in 1. part. Q. 25. art. 3. quòd Deum esse omnipotentem considerari potest dupliciter. vel in rebus possibilibus, & factibilibus, quæ nec in seipsis, nec in Deo implicant contradictionem aliquam: sic Deus dicitur omnipotens. vel ipsum esse omnipotentem in rebus, quæ vel in seipsis, vel in Deo contradictionẽ implicant: & sic Deus non dicitur omnipotens. Deus enim non potest facere rem aliquam, quæ in seipsa implicat contradictionem. non enim potest facere hominem, sine anima rationali, nec parietem album sine albedine. similiter Deus non potest aliquod, quod in seipso contradictionem implicat: non enim potest Deus, quatenus Deus est, peccare, mori, & huiusmodi, cùm omnino hoc sit impossibile. imò dico, quòd si mori, & pecca-

& peccare posset Deus, non omnipotens, sed potius impotens esse diceretur. Vnde, concludendum est, quòd Deus potest omnia possibilia non implicantia contradictionem.

Vtrum Deus possit facere, quòd præterita non fuerint.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum D. Th. in 1. part. Q. 25. art. 4. quòd sub omnipotentia Dei non cadit aliquid, quod contradictionem implicat, vt dictum est; præterita autem non fuisse, contradictionem implicat: ergo Deus facere non potest, quòd præterita non fuerint. Sicuti.n. contradictionem implicat dicere, quòd Socrates sedet, & non sedet, ita quòd sederit, & non sederit. nam contradictio secundum Arist. in 1. de interpret. est affirmatio; & negatio eiusdem subiecti, & prædicati. Ideò sine dubio, vt sonat auribus, maximè implicat contradictionem, dicere quòd præterita non fuerint; præteritum enim ideò est præteritum, quia fuit; sed dicere quòd præteritum non fuerit, est dicere quòd præteritum non sit præteritum, quòd omninò est impossibile. præterea, sciendum est, quòd illa, quæ dicuntur impossibilia secundum aliquam potentiam scilicet naturalem, possibilia tamen sunt secundũ potentiam*

Diuinam; veluti mortuos resurgere, cùm non implicet contradictionem. Vndè, licèt Deus. v.g. omnem possit corruptionem mentis, & corporis à muliere corrupta auferre, non tamen potest facere, quod corrupta non fuerit, vel quòd homo, qui resurrexit non fuerit mortuus, sicut etiam ab aliquo peccatore auferre non potest, quòd non peccauerit, & quòd charitatem non amiserit, cùm omnia hæc implicent contradictionem.

Vtrum Deus sit Beatitudo cuiuslibet beati.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Th. in 1. par. Q. 26. art. 3. quòd in Beatitudine duo possunt considerari, scilicet obiectum actus, quod est intelligibile, & ipse actus, qui est intelligere. si Beatitudo consideretur ex parte ipsius obiecti; sic Solus Deus est beatitudo cuiuslibet beati: nam ex hoc solo est aliquis beatus, quia Deum intelligit, secundum illud Aug. beatus est, qui te nouit etiam si alia ignoret. si verò ex parte actus intelligentis, Beatitudo est quid creatum in creaturis beatis, in Deo autem secundum hoc aliquid increatum. Beatitudo ergo, quantum ad obiectum, est summum bonum simpliciter, nempe Deus: sed quantum ad actum in creaturis beatis, est summum bonum: non simpliciter, sed in genere bonorum participalium a creatura.

Vtrum

Vtrum vna, vel duæ sint processiones in Diuinis.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D.Th. in 1.part. Q. 27. art.5. quòd duæ tantùm sunt processiones in Diuinis. Vna Verbi. altera verò Amoris. ratio huius est, quia duo tantùm sunt procedentes scilicet Filius, & Spiritus Sanctus, Filius procedit per modum naturæ: Spiritus Sanctus verò per modum voluntatis. præterea, processiones Diuinæ non possunt accipi nisi secundum actiones immanentes, quæ, cùm in Diuina Natura sint tantùm duæ, scilicet intelligere, & velle, necesse est, quòd etiam duæ tantùm sint processiones in Diuinis, vna scilicet Verbi, altera verò Amoris. vt dictum est.

Vtrum Deus pater genueret Deum filium.

RESOLVTIO.

Dicendum est Catholicè secundum omnes Doct. quòd Deus pater ab æterno genuit Deum filium, vt in symbolo scriptum est. Lumen de lumine, Deum, verum de Deo vero. qui pater nunquam fuit sine filio, nec filius sine patre; nam personæ Diuinæ sunt sibi inuicem coæternæ, secundum illud Athan. Pater est æternus, æternus

est Filius, æternus est Spiritus Sanctus, non tamen tres æterni sed vnus æternus Deus. Relinquitur ergo, quòd filius à solo patre sit, non factus, nec creatus, sed genitus.

Vtrum Deus se, vel alium Deum genuerit.

RESOLVTIO.

DIcendum est secundum Magist. in 1. sent. dist. 4. quòd Deus nec se, nec alium Deum genuit. Nam quamuis ab æterno Deus pater genuerit Deum filium, non tamen genuit seipsum, vel alium Deum in eßentia, sed genuit alium in persona. Vndè, Magist. sent. ibi hanc proponit Quæstionem. si Deus genuit Deũ, aut igitur Deus pater genuit Deum, qui est Deus pater; & sic genuit seipsum: aut Deus pater genuit Deum, qui non est Deus pater; & sic genuit alium Deum. sed ipsemet soluit, dicendo, quòd illa propositio, quæ dicit, Deus pater genuit Deum, qui non est Deus pater, potest duos habere sensus; quorum primus est, Deus pater genuit Deum, qui nõ est Deus pater, scilicet filium, qui filius non est pater, & iste sensus verus est. Alius sensus est, Deus pater genuit Deum, qui non est Deus pater, scilicet alium Deum in essentia: & iste sensus falsus est, & à fide alienus; quoniam vnus tantùm est Deus in essentia, vt superius dictum fuit.

Vtrum pater, & filius sint vnum principium Spiritus Sancti.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D.Th. in 1. part. Q.36. art. 4. quòd sic, & ratio D.Th. est ista. pater, & filius in omnibus vnum sunt, in quibus non distinguuntur relatiua oppositione, sed cùm in productione Spiritus Sancti, non opponantur adinuicem relatiuè, sequitur, quòd pater, & filius, sint vnum principium Spiritus Sancti. Similiter Hoc Confirmat D.Bonauent. in primo sent.dist.11.Q.2.dicens, quòd Spiritus Sanctus procedit à patre, & filio, in quantum sunt vnum in fœcunditate voluntatis. vna enim est in patre, & filio voluntas, quia pater, & filius sunt vna substantia. Relinquitur ergo quòd pater, & filius, sint vnum principium Spiritus Sancti.

Vtrum patri conueniat mitti.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D.Th. in 1.part. Q. 43.art.4. & Mag. sent.in 1.dist.15.quòd patri nullo modo mitti conuenit; ratio est ista: pater à nullo procodit, imò processionis est principium, ergo nullo modo potest dici missus: quod hoc sit verum patet, quoniam missio in sui ratione importat processionem ab alio, & in Diuinis secundum

cundum originem. Vndè, cùm filius, & Spiritus Sanctus sint ab alio, scilicet a patre, (diuerso tamen modo, quia filius procedit per modum naturæ, Spiritus Sanctus vero per modum voluntatis) ipsi etiam conuenit mitti. patri verò, qui non est ab alio, nullo modo mitti conuenit.

Vtrum creare sit aliquid ex nihilo facere.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum D.Th. in 1. part. Q.45. art.1. quòd sic, nam sicuti generatio hominis est ex non ente, quod est non homo: (scilicet ex non ente in actu, ex ente verò in potentia, vt dicit Arist. in 1.physic.) ita creatio, quæ est emanatio totius esse, est ex non ente: quod est nihil. Ideò illud ex accipitur exclusiuè, quatenus scilicet excludit ens aliquod, tam potentiale, quàm actuale præsuppositum creationi. nam nullum ens præsupponitur creatione, ex quo, illud, quod creatur, procedat. Vndè, manifestum est, quòd creare est aliquid ex nihilo facere.*

Vtrum solius Dei sit creare.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum D.Th. in 1. part. Q.45.art.5.quòd solus Deus creare potest, non Angeli boni, vel mali; nam creatio nō est ex aliquo præsupposito, sed est propria actio*

causæ

causæ vniuersalis scilicet ipsius Dei. & ideò nulla creatura creare potest, nec per se, nec instrumentaliter. Sicuti enim aer calefacit instrumentaliter, scilicet præsupposito igne, similiter si aliquis creare posset instrumentaliter, præsupponeret aliquid, quo creare posset; sed cùm dictum fuerit, creationem non esse ex aliquo præexistente, vel præsupposito, sequitur dicendum, quòd nulla creatura instrumentaliter creare possit. Vndè, in hoc errauit Auicenna (referente D. Th. loco citato) qui posuit, quòd prima substantia separata creata à Deo, creat aliã post se, & substantiam orbis, & animam eius, & quòd substantia orbis creat materiam inferiorum corporum. Similiter errauit Mag. sent. in 4. dist. 5. cùm dixerit, quòd Deus potest creaturæ instrumentalem communicare potentiam. quòd esse non potest, quia causa secunda instrumentalis, non participat actionem causæ superioris. Vndè, impòssibile est, quòd alicui creaturæ conueniat creare, neque virtute propria, neque instrumentaliter, cùm creatio non sit ex aliquo præsupposito, quod possit disponi per actionem instrumentalis agentis, vt dictum est.

Vtrum Deus sit causa mali.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum Magist. in 2. sent. dist. 37. & D. Th. in 1. part. Q. 49. art. 2. quòd ma-*

lum duplex est pœnæ scilicet, & culpæ. Ideò Deus, non est causa mali culpæ, sed pœnæ, vt dicit Isa.45. ego sum Dominus creans malum, & faciens bonum. & Amos.3. non est malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit: quæ propositiones non essent veræ, nisi Deus esset causa mali pœnæ. Vnde, Deus non est author mali culpæ, sed pœnæ, vt dictũ est.

DE ANGELIS.

Vtrum Angeli, qui naturaliter sunt incorporei, aliquando corpora assumant.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Mag. in 2. sentent. dist.8. & Th. in 1. part Q.51. art.2. quòd sic, & hoc non ideò, quia indigeant corpore assumpto propter seipsos, sed propter nos. Vndè assumunt corpora, vt, familiariter cum hominibus conuersando, demonstrent intelligibilem societatẽ, quam homines expectant cum eis habendam in futura vita; vt patet de Angelo, qui apparuit Tobiæ, & de illis, qui apparuerunt Lot. præterea, secundum D. Bonauent. in 2. sent. dist.8. art.1. Q.2. in Angelis duplex est vis scilicet contemplatiua, & administratiua. Secundum contemplatiuam conuertuntur ad Deum, & sic non indigent solatio corporis assumpti. Secundum verò administratiuam, Deo volente, descendunt ad nos, per assum-

ptionem

ptionem corporum, ad operandum aliquid circa nos, & ad seipsos manifestandos, nosq; ipsos consolandos. Ideò notandum est pulcherrimè, quod Angeli assumunt corpora, ex aere, condensando ipsum, non virtute propria, sed virtute Diuina, quantum necesse est ad corporis assumendi formationem. Vndè, manifestum est, quòd Angeli corpora assumunt, sicut instrumenta vel organa ad operandum, ad manifestandumque etiam aliquid nobis, ad salutem nostram, vt dictum est.

Vtrum Angeli in assumptis corporibus opera vitæ exerceant.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum D.Thom. in 1. part. Q.51. art.3. quòd Angeli in assumptis corporibus non exercent opera vitæ vniuocè, sed solùm æquiuocè; nam quamuis Angeli, per corpora assumpta, possint operari quædam opera vitæ, quantum ad id, in quo communicant cum corporibus non vitalibus, non tamen possunt quantum ad id, quod est propprium viuentium. Angeli enim in assumptis corporibus non viuunt vita nutritiua, quæ est principium operis vitæ. Vndè, tantùm æquiuocè in aßumptis corporibus ipsi Angeli opera vitæ exercent, non autem vniuocè, cùm non informent corpora.*

Vtrum

Vtrum Dæmones in assumptis corporibus possint generare hominem.

RESOLVTIO.

Dicendum est absolutè secundum Thom. in 1. part. Q. 51. art. 3. in resp. ad vlt. quòd non, cuius ratio est, quia si Dæmones in assumptis corporibus possent generare hominem, possent etiam ex consequenti exercere opera vitæ, sed hoc est falsum, ergo &c. falsitas consequentis patet ex eo, quòd suprà determinatum est, Antecedens non indiget probatione, ergo Dæmones in aßumptis corporibus non possunt hominem generare. Vndè sciendum est, quòd, licèt ex coitu eorum aliqui quandoq; nascantur homines; hoc tamen non est per semen ab eis decisum, aut à corporibus aßumptis, sed per semen alicuius hominis ad hoc acceptum, vt potè, quòd idem Dæmon, qui est succubus ad virum, fiat incubus ad mulierem: sicuti & aliarum rerum semina assumunt, ad aliquarum rerum generationem, adeò quòd instrumentaliter se habent, sicut Agricola ad productionem fructuum, & prædicatores ad illuminationem mentium. Vndè, ille, qui nascitur, non est filius Dæmonis, sed illius hominis, cuius semen acceptum est.

Vtrum

Vtrum Angelus sit in loco.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D. Tho. in 1. part. Q. 52. art. 1. & 2. & Scotum in 3. Sent. dist. 2. Q. 5. & Petrum Tat. ibidem Q. eadem, quòd aliquid potest esse in loco tripliciter. Vno modo circumscriptiuè. Alio modo definitiuè. Tertiò modo præsentialiter. Vndè illud dicitur esse in loco circumscriptiuè, quando illud sic se habet ad locum, quòd vltima pars ipsius locati, & vltima ipsius loci sunt simul, & continua; & hoc modo omne corpus naturale est in loco. Secundò illud dicitur esse in loco definitiuè, quòd sic est in vno loco, quòd non in alio, sine circumscriptione ipsius loci. & sic Angelus hoc modo dicitur esse in loco. Vndè notandum est, quòd valet consequentia, est in loco circumscriptiuè, ergo definitiuè, non è conuerso definitiuè, ergo circumscriptiuè. Tertio modo præsentialiter, Deus est in omnibus rebus, Ideò valet consequentia, est in loco circumscriptiuè, & definitiuè, ergo præsentialiter, non è conuerso. clarum itaque est, quòd Deus est vbique præsentialiter, essentialiter, & potentialiter, vt in superioribus dictum fuit. Angelus verò in loco definitiuè. corpus verò circumscriptiuè.

Vtrum Angeli cognoſcant cogitationes cordium.

RESOLVTIO.

Dicendum eſt ſecundum D.Thom.in 1. part. Q. 57. art.4. quòd cogitatio poteſt cognoſci dupliciter. Vno modo in ſuo effectu. Alio modo in ſeipſa: ſi primo modo, tunc non ſolùm ab Angelo, ſed etiam ab homine cogitatio cordis alterius cognoſci poteſt. homo enim per immutationem vultus, & diſpoſitionem corporis, (vt medicus) quandoq; poteſt cogitationes cordis alterius cognoſcere. cogitationes verò cordium, ſecundo modo ſumptæ, ſoli Deo ſunt naturaliter cognitæ, nam cogitationes cordium puræ voluntariæ ſunt, cùm ex ſola voluntate dependeat, quòd aliquis actu cogitet, merè autem voluntaria ſoli Deo, & volenti nota ſunt, ergo ſolus Deus ſcrutator cordium eſt.

Vtrum Angelus fuerit ab æterno productus.

RESOLVTIO.

Dicendum eſt ſecundum D.Th. in 1. part. Q.61. art. 2. quòd ſolus Deus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus eſt ab æterno. Hoc enim fides catholica indubitanter tenet: &

omne contrarium est sicut hæreticum refutandum. sic enim Deus creaturas produxit, quid eas ex nihilo fecit.i. postquàm nihil fuerat. Angelus ergo nullo modo fuit ab æterno productus ab ipso Deo.

Vtrum Angeli sint creati in Cœlo Empyreo.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum Th. in 1.part.Q.61. art.4. quòd sic, nam ex creaturis corporalibus, & spiritualibus vnum vniuersum constituitur: Ideò sic creatæ sunt spirituales creaturæ, quòd ad creaturam corporalem aliquem ordinē habent, & toti creaturæ corporali præsident. Vndè conueniens fuit, quòd Angeli in supremo corpore crearentur (quod est Cœlum Empyreum) tanquam toti naturæ corporeæ præsidentes, siue propriè id dicatur Cœlum empyreum, siue qualitercunque nominetur. supremum enim Cœlum, est Cœlum Angelorum, vt dicit Isid. creati itaq; sunt Angeli in Cœlo empyreo, i. in Cœlo splendido, vel igneo a splendore, non a calore, vt dicit Mag. in 2. Sent. dist.2.*

Vtrum Angeli sint creati in gratia.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum Magist. Sent. in 2. distin. 4. & D. Bonauent. ibidem art.1. Q 2. quòd Angeli non fuerunt creati in gratia gratum faciente*

faciente; (licet D. Thom. probabiliter aliter dicat in 1. part. Q. 62. art. 3.) ratio est ista, quia si fuissent creati in gratia, non cecidisset Lucifer cum suis socijs. Vndè secundum Magist. Sent. Angeli non fuerunt creati mali, eo quòd non statim peccauerunt, sed cum aliqua morula; nec in eorum creatione peccatum acceperunt: similiter nec boni, eo quòd non habuerunt certitudinem sui status. dicendum igitur est, quòd omnes Angeli creati fuerunt boni bonitate naturæ, non autem bonitate gratiæ, quia conuersi quidam eorum ad Deum gratiam, & distinctos ordines acceperunt; quidam verò auersi excæcati fuerunt. Vndè, probabiliter secundum D. Bonau. dicendum est, quòd Angeli non fuerunt creati in gratia gratum faciente,

Vtrum Angeli Beati possint peccare.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Magist. in 2. sen. dist. 7. & Th. in 1. part. Q. 62. art. 8. quò non, nam cùm sint confirmati in gratia, & Deum per essentiam videant, non possunt velle, aut agere nisi, quod Deus vult. eorum enim voluntas conformis est voluntati Diuinæ, ergo non possunt peccare. Si autem dicatur, quòd habent liberum arbitrium, respondeo, quò est confir-

confirmatum in gratia. Vndè, si Angeli essent in puris naturalibus, possent sine dubio peccare, sed quia confirmati sunt in gratia, & beatitudine, nullo modo peccare possunt,

Vtrum tot peccauerunt, quot permanserunt.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D. Tho. in 1. part. Q. 63. art. 9. quòd plures Angeli permanserunt, quàm peccauerunt: ratio est, quia peccatum est contra naturalem inclinationem. ea verò, quæ contra naturam fiunt, vt in paucioribus accidunt. Natura enim consequitur suum effectum frequenter, vel semper, vt in pluribus, deficit autem in paucioribus. Vndè, plures Angeli permanserunt, quàm peccauerunt.

Vtrum dolor sit in Dæmonibus.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D. Tho. in 1. part. Q. 64. art. 3. quòd timor, dolor, gaudium, & huiusmodi, quatenus sunt passiones sensus, in Dæmonibus esse non possunt; sic enim sunt propriè appetitus sensitiui, qui est virtus in organo corporali; sed Quatenus significant simplices actus voluntatis, sic possunt esse in Dæmonibus.

nibus. & necesse est dicere; quòd in eis sit dolor: quia dolor, secundum quod significat simplicem actum voluntatis, nihil aliud est quàm renisus voluntatis ad id, quod est, vel non est. patet autem, quòd Dæmones multa vellent non esse, quæ sunt, & esse, quæ non sunt. vellent enim mali Angeli, cùm sint inuidi, damnari eos, qui Saluantur: Vndè oportet dicere, quòd in eis sit dolor: & præcipuè, quia de ratione pœnæ est, quòd voluntati repugnet: priuantur etiam beatitudine, quam naturaliter appetunt: & in eis semper voluntas mala esse dicitur.

Vtrum iste aer sit locus pœnalis Dæmonum.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum Thom. in 1. part. Q.64. art. 4. quòd duplex locus pœnalis dæmonibus debetur. Vnus ratione culpæ, & hic est infernus. Alius autem ratione exercitationis humanæ, & sic debetur eis caliginosus aer. nam procuratio totius humanæ salutis protenditur vsque ad diem Iudicij. Vndè, vsq; ad illum diem durat ministerium Angelorum, & exercitatio dæmonum, scilicet quòd vsque ad illam diem, boni Angeli ad nos huc mittuntur, & Dæmones in hoc aere caliginoso sunt ad nostrũ exercitium: licèt eorum aliqui etiam nunc in inferno*

sint

sint ad torquendum eos, quos ad malum induxerunt, sicut & aliqui boni Angeli sunt cum animabus Sanctis in Cœlo. Sed post diem Iudicij, omnes mali, tam homines, quàm Angeli in inferno erunt, boni verò in Cœlo. præterea, sciendum est, quòd sicuti locus Cœlestis pertinet ad gloriam Angelorum, & tamen gloria eorum non minuitur, cùm ad nos veniunt: quia considerant illum locum esse suum, eo modo, quo dicimus honorem Episcopi non minui, dum actu non sedet in Cathedra: similiter dicendum est, quòd Dæmones licèt non actu alligentur gehennalli igni, dum sunt in aere isto caliginoso: tamen inquãtum sciũt illam alligationem sibi deberi, eorum pœna non diminuitur.

Vtrum animæ separatæ cognoscant ea, quæ hic aguntur.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum Thom. in 1. part. Q. 89. art. 8. quòd animæ separatæ, secundum cognitionem naturalem, nesciunt, quæ hic aguntur. & hoc ideò est, quia secundũ ordinationem diuinam, & secundum modum essendi, segregatæ sunt à conuersatione viuentium, & coniunctæ conuersatione spiritualium substantiarum, quæ sunt à corpore separatæ. Vndè ea, quæ*

apud nos aguntur, naturaliter ignorant. prætereà, D. Greg. videtur dicere, quòd animæ beatorum Deum videntes omnia præsentia, quæ hic aguntur cognoſcunt, dicit enim. D. Greg. animæ beatorum cùm intus omnipotentis Dei claritatem videant, nullo modo credendum eſt, quòd ſit foris aliquid, quod ignorent: licèt aliter ſentiat Aug. dubitando tamen. Vndè, dicamus, quòd animæ Sanctorum (quia ſunt perfectiſſimè Iuſtitiæ Diuinæ coniunctæ) nec triſtantur, nec rebus viuentium ſe ingerunt, niſi ſecundum quod Iuſtitiæ Diuinæ diſpoſitio exigit. de animabus verò mortuorum dicamus, quòd non per ſeipſos facta viuentium cognoſcere poſſunt, ſed vel per animas eorum, qui hinc ad eos accedunt, vel per Angelos, ſeu dæmones, vel etiam ſpiritu Dei reuelante.

Vtrum anima rationalis à Deo immediate ſit producta.

RESOLVTIO.

D*Icendum eſt ſecundum Th. in 1. part. Q. 90. art. 3. quòd ſic, nam anima producitur non per tranſmutationem aliquam, ſed per creationem; ſed quia ſolus Deus creare poteſt, nullo præſuppoſito agente, vt ſuperius dictum eſt, relinquitur, quòd anima rationalis immediatè à Deo producta ſit.*

Vtrum

Vtrum etiam corpus humanum immediatè sit à Deo productum.

RESOLVTIO.

DIcendum est secundum Th. in 1. part. Q. 91. art. 2. quòd sic in prima formatione, nam corpus humanum non potest formari, nisi aut à Deo immediatè, aut à semine humano per viam generationis, sed in prima formatione, nullū præcessit humanum corpus, à quo per viam generationis formari potuisset corpus primi parentis, formatum est ergo à Deo immediatè.

Quare Deus non creauit simul fœminam, & virum?

RESOLVTIO.

REspondetur secundum Magist. sent. in 2. distin. 18. dupliciter primò, vt superbia diaboli confunderetur. concupierat enim diabolus se esse aliud principium à Deo; Ideò vt in hoc confunderetur; homo accepit hoc in munere, vt ipse primus esset primū principium generationis omnium hominum. Secundò, vt similitudo Dei in homine magis manifestaretur. nam sicuti Deus vnū est principium creatiuum omnium rerum, similiter primus homo fuit vnum, & primum principium generationis omnium hominum, quòd fieri non potuisset, si Deus mulierem, & virum simul creasset.

Quare mulier specialiter facta est de costa Adæ,& non de aliqua alia parte corporis?

RESOLVTIO.

RESpondetur secundum Magistrum loco citato, quòd hoc ideò est, quia inter virum, & mulierem debet esse socialis coniunctio; neque enim mulier debet dominari in virum, (vt dicit Apost. ad Tim.1.c.2.) & ideò non est formata de capite; neq; debet à viro despici tanquàm seruiliter subiecta; & ideò non est formata de pedibus. sed de latere ipsius viri formata fuit, tanquam socia, & vt homo eam iuxta se esse ponendam cognosceret.

Quare potius de latere viri dormientis,quàm vigilantis sumebatur costa ad formationem mulieris?

RESOLVTIO.

RESpondetur, secundum Magist. sent. in 2. distin. 18. tripliciter. Primò, ne vir sentiret dolorem in subtractione costæ. Secundò, vt Deus ostenderet suam potentiam, cum aperuit latus ipsius hominis Dormientis, & ipsum à soporis quiete non excitauit. Tertiò, vt profluxio sacramentorum de latere Christi in Cruce dormientis figuraretur; nam de latere Christi dormientis in

Cruce

Cruce fluxerunt sanguis, & aqua, quibus formata est ecclesia.

Vtrum de sola costa mulier fuerit formata.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Magistrum loco citato, quòd de sola costa mulier formata fuit sine additione aliorum membrorum: Diuina tamen virtute, illa costa multiplicata fuit, ad formandam totam mulierem, non autem naturaliter, sed supernaturaliter; sicuti factum fuit de illis quinq; panibus multiplicatis ad saturationem multorum hominum.

Vtrum primus homo omnium scientiam habuerit.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Mag. sent. in 2. distin. 23. & D. Th. in 1. part. Q. 94. art. 3. quòd sic. Sed sciendum est, quòd scientia habetur tribus modis; vel enim habetur per species acquisitas, aut per species connaturales, aut per species infusas. Ideò, primus homo non habuit scientiam omnium rerum per species acquisitas, quia nou fuerat omnia expertus, similiter etiam, nec per species connaturales, quia erat eiusdem naturæ nobiscum: anima autem nostra est sicut tabula rasa, in qua nihil scriptum est, vt vult philo-

ſophus in 3. de anima. habuit ergo primus homo ſcientiam omnium per ſpecies à Deo infuſas: nec tamen illa ſcientia fuit alterius rationis à ſcientia noſtra: ſicuti nec oculi, quos cæco nato Christus dedit, fuerunt alterius rationis ab oculis, quos natura produxit. Vndè, ſecundum Magiſt. ſent. loco citato, primus homo triplici cognitione præditus fuit. Primò fuit præditus cognitione rerum propter ſe creatarum, quarum curam erat habiturus. & ideò omnibus rebus nomina impoſuit. Secundò dotatus fuit cognitione ſui Creatoris, non quidem per ænigma, ſed per interiorem inſpirationem, non tamen ita clarè, ſicuti in patria cœleſti. Tertiò erat illuſtratus cognitione ſuipſius, nam ſciuit quid Deo, quid ſibi, & quid alijs debuit. Vndè, manifeſtum eſt, quòd primus homo omnium habuit ſcientiam; quæ neceſſaria ſunt ad regimen humanæ vitæ.

Quare Deus hominem tentari permiſit, quem decipiendum præſciuit?

RESOLVTIO.

Reſpondetur ſecundum Magiſt. ſent. in 2. diſtin. 23. quòd Deus hoc fecit ad oſtendendam dignitatem humanæ naturæ; nam dignior eſt conditio naturæ creatæ poſſe tentari, & non conſentire, Deo iuuante, quàm nec poſſe tentari, nec poſſe conſentire.

Quare

Quare Deus creauit illos homines, quos futuros præuidit malos?

RESOLVTIO.

Respondetur secundum Magistrũ ibidem loco citato, quòd propter bonum, quod cognouit esse venturum.

Quare Deus non fecit hominem impeccabilem?

RESOLVTIO.

Respondetur secundum Magist. in eodem loco, quòd hoc ideo est, quia melius fuit vtranque naturam facere, vnam scilicet, quæ peccare non posset: cuiusmodi est Angelica natura per gratiam confirmantem; aliam, quæ peccare, & non peccare posset ad libitum, cuiusmodi est anima rationalis, vt ex vtraq; vberius laudaretur, quàm creare vnam naturam tantùm vnius modi solùm.

Quare Deus, qui potuit illos præseruare, ne consentirent, hoc non fecit?

RESOLVTIO.

Respondetur secundum Magist. ibidem, quòd hoc ideò fuit, quia voluit eos Deus in sua natura relinquere, vt nec infructuosè boni essent, nec impunè mali.

Vtrum Nouem sint ordines seu chori Angelorum.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Mag. sent. in 2. distin.9. quòd nouem sunt ordines Angelorũ in tribus hierarchijs distincti, & quælibet hierarchia constat tribus ordinibus, quorum tres sunt superiores, scilicet Seraphin, Cherubin, & Troni. tres verò medij, scilicet Dominationes, Principatus, & Potestates. tres autem sunt infimi, nempè Virtutes, Archangeli, & Angeli. Nouem itaq; sunt ordines Angelorum.

Vtrum homines assumantur ad ordines Angelorum.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Mag. sent. in 2. distin.9. & D.Th. in 1. part. Q.108. art.8. quòd ordines Angelorum dupliciter considerari possunt. Vno modo secundum conditionem naturæ. Alio modo secundum dona gratiæ. si ergo primo modo considerentur Angelorum ordines, quantum scilicet ad gradum naturæ. sic homines nullo modo assumi possunt ad ordines Angelorũ, quia semper remanebit naturarum distinctio, scilicet hominum, & Angelorum diuersitas. si verò Angelorum ordines secundo considerentur modo,

nempè

nempè quantum ad dona gratiæ. sic homines ad ordines Angelorum aßumi poßunt; quoniam per Donum gratiæ, (quæ dependet ex libertate Dei, non ex ordine naturæ) homines mereri possunt tantam gloriam, vt Angelis æquentur secundum singulos Angelorum gradus: quod est homines ad ordines Angelorum assumi.

Vtrum omnibus hominibus, Angeli ad custodiam deputentur.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Mag. sent. in 2. distin. 11. & D.Th. in 1. part. Q. 113. art. 4. quòd sic, nam homo in statu huius vitæ constitutus, est quàsi in quadam via, qua debet tendere ad patriam; in qua quidem via, multa pericula homini imminent, tùm ab interiori: tùm etiam ab exteriori. & ideò sicuti hominibus per viam non tutam ambulantibus dantur custodes, ita & cuilibet homini, quandiu viator est, custos Angelus deputatur. Quando autem iam ad terminum viæ peruenerit, iam non habebit Angelum custodem, sed habebit in Regno Cælorum Angelum conregnantem: in inferno verò Dæmonem punientem. Vndè, manifestum est, quòd omnibus hominibus, in hoc mundo, Angeli ad custodiam deputantur.

Vtrum Beatitudo hominis consistat in Deo, an potius in diuitijs.

RESOLVTIO.

DIcendum est secundum D. Th. in 1.2. Q. 2. art. 1. quòd vera beatitudo ipsius hominis in Deo, non autem in diuitijs consistit, nam vbi reperitur finis vltimus ipsius hominis, ibi etiam eius beatitudo inuenitur, sed finis vltimus hominis non est nisi Deus Opt. Max. (qui etiam omnium rerum principium est) ergo beatitudo hominis vera non consistit nisi in Deo, ad quē, homo specialiter inter cæteras creaturas, tanquā ad verā beatitudinem, ordinatur: præterea, sciendū est, ꝙ duplices sunt diuitiæ, Naturales, s. & Artificiales. Naturales diuitiæ sunt, quib⁹ homini subuenitur ad defectus naturales tollendos: sicut cibus, & potus, vestimenta, habitacula, & huiusmodi. Diuitiæ verò artificiales sunt, quibus secundum se natura non iuuatur, vt Denarij: sed ars humana eos adinuenit propter facilitatem commutationis: vt sint quasi mensura rerum venalium. Vndè, diuitiæ naturales quæruntur ad sustentandam naturam humanam. Artificiales verò quæruntur propter naturales: non enim quærerentur, nisi, quia per eas emuntur res ad vsum vitæ necessariæ. Vndè huiusmodi diuitiæ non possunt esse Vltimus finis, sed magis ordinantur proximè ad hominem, sicut ad finem. omnia enim huiusmodi in-

di infra hominem, & propter hominem facta sunt, secundum illud Profet. omnia subiecisti sub pedibus eius. homo autem ordinatur ad Deum, tanquàm ad vltimum finem, qui est propria ipsius beatitudo, secundum illud Ps. satiabor cùm apparuerit gloria tua.

Vtrum Beatitudo hominis consistat in visione Diuinæ essentiæ.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum Th. in 1. 2. Q. 5. art.8. quòd vltima, & perfecta beatitudo hominis non potest esse, nisi in visione Diuinæ essentiæ, in qua nihil amplius remanet desiderandum, & quærendum. Quòd sic patet, ad perfectam beatitudinem requiritur, quòd cor hominis quiescat, vt dicit Aug. cor autem hominis quiescit, cùm intellectus pertingat ad ipsam essentiam primæ causæ, perfectionem ergo suam habebit homo per vnionem ad Deum, sicut ad obiectum, in quo solo, vltima, & vera Beatitudo hominis consistit, vt dictum est.*

Vtrum ad Beatitudinem hominis requiratur corpus ex necessitate.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum D. Thom. in 1. 2. Q. 4. art. 5. quòd in visione Diuinæ essentiæ perfe-*

perfecta hominis beatitudo consistit, vt dictum est; ergo perfecta beatitudo ipsius hominis non dependet à corpore, ratio est, quia intellectus ad suam operationem non indiget corpore nisi propter phantasmata, sed cùm Diuina essentia per phantasmata videri non possit, sequitur, quòd sine corpore possit esse anima beata. Sed sciendum est, quòd ad perfectionem alicuius rei dupliciter aliquid pertinet. Vno modo, ad constituendam essentiam rei, sicut anima requiritur ad essentiam hominis. Alio modo requiritur aliquid, quod pertineat ab bene eße eius: sicuti pulchritudo corporis, vel scientia pertinet ad perfectionem hominis. quamuis ergo corpus primo modo ad perfectionem beatitudinis humanæ non pertineat, pertinet tamen secundo modo. Vndè, corpus non ex necessitate, sed ex congruitate ad beatitudinem hominis requiritur.

Vtrum vnus homo posſit eſſe beatior altero.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum. D. Tho. in 1. 2. Q. 5. art. 2. quòd sic, dicitur enim Ioannis 14. in Domo Patris mei mansiones multæ sunt, scilicet præmiorum differentiæ, ergo vnus homo potest esse altero beatior. Vndè, sciendum est, quòd in ratione beatitudinis duo includuntur

duntur, scilicet ipse vltimus finis, qui est summum bonum, & adeptio, vel fruitio ipsius boni. quantum igitur ad ipsum bonum, quod est beatitudinis obiectum, & causa, non potest esse vna beatitudo alia maior, quia non est nisi vnum summum Bonum, scilicet Deus, cuius fruitione homines sunt beati: sed quantum ad fruitionem, & adeptionem huiusmodi boni, potest aliquis alio esse beatior: quia quanto magis hoc bono fruitur, tanto beatior erit: contingit autem aliquem perfectius frui Deo, quàm alium ex eo quòd est melius dispositus, vel ordinatus ad eius fruitionem. & secundum hoc, Aliquis altero potest esse beatior.

Vtrum aliquis in hac vita poſsit eſſe beatus.

RESOLVTIO.

DIcendum est secundum D. Th. in 1.2. Q.5. art. 3. quòd non, nam in hac vita non possunt omnia mala excludi: multis enim malis præsens vita subiacet, quæ vitari non possunt, vt ignorantiæ ex parte intellectus, & inordinatæ affectioni ex parte appetitus, & multiplicibus pœnalitatibus ex parte corporis. similiter etiam desiderium boni in hac vita satiari non potest: naturaliter enim homo desiderat permanentiam eius boni, quod habet: bona autem vitæ præ-

sentis

sentis transitoria sunt, cùm & ipsa vita transeat, quam naturaliter desideramus; & eam perpetuò permanere vellemus, quia homo naturaliter refugit mortem. Vndè, impossibile est, quòd in hac vita vera habeatur beatitudo, quoniam in hac vita Deũ videre nemo potest, vt superius dictum fuit.

Vtrum omnis homo appetat beatitudinem.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum D. Th. in 1.2. Q.5. art.8. quòd Beatitudo potest considerari dupliciter. Vno modo communiter. Alio modo specialiter. Si Beatitudo consideretur primo modo, sic quilibet homo Beatitudinem appetit, nam ratio communis Beatitudinis est, vt sit bonum perfectum satiabile totaliterq; satisfaciẽs voluntati illius, qui Beatitudinem appetit. si verò Beatitudo consideretur secundo modo, nempè specialiter, tunc non omnes appetunt Beatitudinem, cùm non omnes cognoscant rationem Beatitudinis in specie. Vndè omnia plana sunt.*

Vtrum Voluntas sit tantùm boni.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum D. Th. in 1.2. Q.8. art.1. quòd sic, nam obiectum voluntatis est bonum, vt dicit Arist. in 1. Etic. bonum est, quod omnia appetunt; sed voluntas ali-*

quando decipitur circa aliquod obiectum, putans ꝙ sit bonum verum, cùm sit bonum apparens, vt dicit Arist. in 2. Phisic. ꝙ finis est bonum, vel apparens bonum. Vndè voluntas vniuersaliter est tantùm boni particulariter vero, & per accidens est mali, quia apprehendit malum in ratione boni, vt fures, qui furantur propter bonum.

Vtrum Voluntas moueatur à corpore Cœlesti.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum* D. Thom. in 1. 2. *Q. 9. art. 5. quod directè voluntas moueri non potest à corpore cœlesti. nam directè corpora cœlestia non sunt causa nostrorũ actuũ, essent autem, si voluntas, quæ est principiũ humanorũ actuũ, à corporibus Cœlestibus directè moueretur, sed consequens est falsum, nõ ergo mouetur voluntas à corporibus Cœlestibus. præterea, nullũ corpus agere potest in rem incorporeã, sed potius e cõuerso, ergo impossibile est, quòd corpus Cœleste imprimat directè in intellectum, aut voluntatem. Sciendum tamen est, quòd cùm voluntas moueatur ab exteriori obiecto, moueri potest etiam indirectè, & per accidens à corporibus cœlestibus, in quantum scilicet corpora exteriora sensui subiecta, & proposita mouent voluntatem, & etiam ipsa organa potentiaram sensitiuarum subiacent moti-*

motibus corporum Cœlestium. omnes enim potentiæ sensitiuæ, cùm sint actus organorum corporalium, per accidens moueri possunt à cœlestibus corporibus, motis scilicet corporibus, quorum sunt actus: sed quia appetitus intellectiuus quodammodo indirectè mouetur ab appetitu sensitiuo, ideò redundant motus Cœlestium corporum in voluntatẽ, quatenus scilicet per passiones appetitus sensitiui, voluntatem moueri contingit, sicuti adueniente frigore incipit aliquis velle facere ignem. Vndè, concludimus, quòd ista motio voluntatis est ex parte obiecti exterius præsentati, non autem ex parte interioris instinctus.

Vtrum solus Deus sit causa voluntatis.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum D.Th. in 1.2. Q.9. art.6. quòd voluntatis causa non potest esse nisi solus Deus, qui cùm sit causa animæ rationalis per creationem, causa etiam est voluntatis, quæ animæ rationalis est potentia. præterea, voluntas habet ordinem ad bonum vniuersale; Vndè, nihil aliud potest esse causa voluntatis, nisi ipse Deus, qui est vniuersale bonum.*

Vtrum solo Deo fruendum sit.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum Magist. in 1. senten. distin. 1. quòd sola Trinitate increata fruendum*

dum eſt. quòd tali ratione probatur. quod propter ſe, & nullum alium finem eſt diligendum, illo propriè eſt fruendum, ſed ſola Trinitas eſt illa, quæ propter ſe, & nullum alium finem eſt diligenda, ergo ea ſolùm fruendum eſt: maior patet per fruitionis deſcriptionem, quæ eſt, frui eſt rei alicui amore inhærere finaliter propter ſeipſam; minor probatur ſic, quod poteſt nos, & nil aliud beatos reddere, illud ſolùm propter ſe, & finaliter eſt diligendum, ſed nil aliud, quàm ſola Trinitas poteſt nos beatos reddere, igitur ſola Trinitas propter ſe, & finaliter eſt diligenda. patet itaque quòd ſolo Deo fruendum eſt.

Vtrum hominibus ſit fruendum.

RESOLVTIO.

Dicendum eſt ſecundum Magiſt. loco citato, quòd non ſimpliciter, ſed ſecundum quid, ſcilicet in Deo, vt dicit Apoſt. ad philem. ego te fruar in Domino; Vndè, niſi dixiſſet in Domino, videretur finem dilectionis in homine conſtituiſſe, quòd non fecit.

Vtrum virtutibus ſit fruendum.

RESOLVTIO.

Dicendum eſt ſecundum Magiſt. ſent. in 1. diſtin. 1. quòd virtutibus ſimpliciter non eſt fruendum, ſed tantùm inſtrumentaliter: eo

quòd non quæruntur propter se, sed propter beatitudinem, scilicet propter Deum, qui est vera beatitudo cuiuslibet beati.

Vtrum fides, spes, & charitas sint tres Virtutes Theologicæ.

RESOLVTIO.

DIcendum est secundum Magist. in 3. sent. & D.Th. in 1.2. Q. 62. art. 3. quòd verè fides, spes, & charitas ponuntur Virtutes Theologicæ, vt dicit Apost. 1. ad Cor. 13. nunc autem manent fides, spes, & charitas. Fides, quia solùm tres sunt personæ Diuinæ, in quas nos credere debemus. Spes, quia similiter in illis solùm sperare debemus. Charitas, quia vnus tantùm est Deus, quem finaliter, & propter se diligere debemus, nempè patrē, & filium, & Spiritū Sanctum.

Vtrum fides sit prior spe, & spes charitate.

RESOLVTIO.

DIcendum est secundum D.Th. in 1.2. Q. 62. art. 4. quòd ordine generationis: sicuti materia est prior forma, sic etiā fides est prior spe, & spes similiter præcedit charitatem. ordine verò perfectionis: sicuti forma prior est materia, similiter charitas præcedit fidē, & spem; eo quòd tam fides, quàm etiam spes per charitatem formatur. Vndè, Charitas dicitur mater omnium vir-

tutum, & radix, inquantum omnium virtutum est forma.

Vtrum charitas possit esse sine fide, & spe.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum D.Th. in 1.2.Q.65. art.5. quòd nullo modo Charitas potest esse sine fide, & spe. nam Charitas est dilectio, qua Deus diligitur propter se, & proximus propter Deum. Vndè, Nemo potest perfectè diligere Deum propter se, & proximum propter Deũ, nisi etiam speret à Deo, quem diligit, beatitudinem consequi; nec potest quis hanc sperare beatitudinem, nisi credat Deum, quem diligit, ipsi hanc beatitudinem conferre. Vndè, impossibile est, quòd Charitas possit esse sine fide, & spe: sed bene potius è conuerso, fides, & spes possunt esse sine charitate perfecta.*

Vtrum Charitas sit maior fide, & spe.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum D.Th. in 1.2.Q.66. artic.6. quòd charitas maior est fide, & spe, secundum illud Apost. 1. ad Cor. 13. nunc autem manent fides, spes, & charitas, tria hæc, maior autem horum est charitas. Sed sciendum est, quòd vna earum non potest dici maior altera, ex hoc, quòd sit circa maius obiectũ: quia omnes virtutes Theo-*

logicæ reſpicimus Deum, ſicuti proprium obiectũ: ſed bene ex eo, quòd vna ſe habet propinquius ad obiectum, quàm alia: & hoc modo charitas eſt maior alijs ſcilicet fide, & ſpe. ratio eſt, quia fides eſt de non viſis, ſpes autem de non habitis: ſed charitas eſt de eo, quod iam habetur. eſt enim amatum quodammodo in amante, & amans trahitur ad vnionem amati, vt dicitur 1. *Ioan.*4. *qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo. patet igitur, quòd charitas maior eſt fide, & ſpe.*

Vtrum fides, & ſpes maneant poſt hanc vitam, ſicut charitas.

RESOLVTIO.

D*Icendum eſt ſecundum Th. in* 1.2.*Q.*67.*art.*3. 4. 5. *&* 6. *quòd non fides, enim non manet, propterea quòd, beatus videt Deum in quem credebat: ſimiliter non manet ſpes, quia ſpes eſt certa expectatio futuræ beatitudinis ex Dei gratia; & meritis proprijs proueniens, qui autem eſt in alia vita, habet, & non expectat viſionem Dei per eſſentiam in actu: ergo quando habetur id, quod ſperatur, ſcilicet Diuina fruitio, iam ſpes eſſe non poterit. Charitas verò, quia reſpicit dilectionem, manebit in gloria, vt dicit Apoſt.*1.*ad Cor.*3.*charitas nunquam excidit. Vndè, fides, & ſpes euacuabuntur in patria, charitas verò in æternum manebit.*

Vtrum

Vtrum Dona Spiritus Sancti remaneant in Patria.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D.Th. in 1.2. Q. 68. art.6. quòd Dona Spiritus Sancti possunt considerari dupliciter. Vno modo quantum ad essentiam Donorum; & sic perfectissimè erunt in patria. Alio modo quantum ad materiã, circa quam operantur; & sic in præsenti habent operationem circa aliquam materiam, circa quam non habebunt in statu gloriæ: & secundum hoc non manebunt in patria.

DE VITIIS, ET PECCATIS.

Vtrum vitium sit contra naturam.

RESOLVTIO.

Dicendem est secundum D.Th. in 1.2. Q.71. art.2. quòd vitium non potest esse nisi contra naturam, propriè loquendo. nam natura vniuscuiusq; rei est forma, vt dicit philosophus. in 2. phisic. anima autem rationalis est forma hominis, & consequenter natura ipsius hominis: ideò id, quod est contra ordinem rationis, propriè est contra naturam hominis, quatenus homo est. quod autem est secundum rationem, est secundum naturam hominis, inquantum homo est. Vn-

de Vitium in tantum est contra naturam hominis, in quantum est contra ordinem rationis.

Vtrum peccatum simul possit esse cum virtute.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D.Th. in 1. 2. Q. 71. art.4. quòd virtus duplex est, infusa scilicet, & acquisita: similiter peccatum duplex est mortale scilicet, & veniale. Ideò peccatum mortale nullo modo potest esse simul cum virtutibus infusis, quatenus virtutes sunt, sed bene potest esse simul cum acquisitis. peccatum verò veniale non solùm potest esse simul cum virtutibus acquisitis; sed etiam cum virtutibus infusis. ratio est, quia peccatum veniale non contrariatur charitati, nec excludit ipsam, sicuti peccatum mortale.

Vtrum grauitas peccatorum varietur secundum obiecta.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D.Th. in 1. 2. Q. 73. art.3. quòd sic, nam secundum diuersitatem obiectorum, attenditur diuersitas grauitatis in peccatis. quidam enim in Deum, quidam in se, quidam verò in proximum peccant. præterea, sicuti res exteriores ordinantur ad hominem, sicut ad finem: similiter homo vlterius in Deum ordinatur, sicut

ſicut in finem. Vndè peccatum quod eſt circa ipſam ſubſtantiam hominis, ſicut homicidium, eſt grauius peccato, quod eſt circa res exteriores, ſicut furtum; & adhuc eſt grauius peccatum, quod immediatè contra Deum committitur, ſicuti infidelitas, blaſphemia, & huiuſmodi: & hæc grauitas peccatorum attenditur ſecundum obiecta principalia, vel minus principalia: Vndè, peccata habent ſpeciem ex obiectis, & penes obiecta ſimiliter habent differentiam grauitatis.

Vtrum peccata ſpiritualia ſint maioris culpæ, quàm carnalia.

RESOLVTIO.

D*Icendum eſt ſecundum D.Th. in 1. 2. Q.73. art.5. quòd, ſimpliciter loquendo, peccata ſpiritualia ſunt maioris culpæ, quàm carnalia: quia peccata carnalia verſantur circa obiecta minus principalia. peccatum enim carnale, in quantum huiuſmodi, eſt in corpus proprium, quod eſt minus diligendũ ſecundum ordinem charitatis, quàm Deus, & proximus, in quos peccatur per peccata ſpiritualia. Vndè, peccata ſpiritualia, quatenus ſpiritualia ſunt, maioris ſunt culpæ, quàm carnalia. præterea, quanto grauior eſt inclinatio ad peccandum, tanto minus homo peccat, ſed grauior eſt inclinatio in peccatis carnalibus, quàm in ſpiritualibus, ergo minus carnaliter homo peccat,*

quàm spiritualiter, propter concupiscentiam carnis nobis innatam. sciendum tamen est quòd, cùm dicimus peccata spiritualia esse maioris culpæ, quàm carnalia, non debemus sic intelligere, quasi quòd quodlibet peccatũ spirituale sit maioris culpæ quolibet peccato carnali, sed quia considerata hac sola differentia spiritualitatis, & carnalitatis grauiora sunt, quã cætera peccata cæteris paribus.

Vtrum sola voluntas sit subiectum peccati.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum D. Th. in* 1. 2. *Q.* 74. *art.* 2. *quòd non sola voluntas est subiectum peccati, sed etiam secundum quid, aliæ animæ vires possunt peccati esse subiecta. nã omne, quod est principium actus voluntarij, est subiectum peccati; actus autem voluntarij dicuntur non solùm illi, qui eliciuntur à voluntate, sed etiam illi, qui à voluntate imperantur, vt actus sensitiui. Vndè, non solùm voluntas potest peccati esse subiectum, sed omnes illæ potentiæ, quæ possunt moueri ad suos actus, vel ab eis reprimi per voluntatem.*

Vtrum etiam in sensualitate possit esse peccatum.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum. D. Th. in* 1. 2. *Q.* 74. *art.* 3. *quòd secundum quid, in sen-*

sualitate potest esse peccatum, nam peccatum potest inueniri in qualibet potentia, cuius actus potest esse voluntarius, & inordinatus, in quo consistit ratio peccati: manifestum est autem, quòd actus sensualitatis potest esse voluntarius, in quantum sensualitas (idest appetitus sensitiuus) nata est à voluntate moueri. in sensualitate igitur secundum quid potest esse peccatum. praeterea notandum est, quòd sensualitas non includit in se peccatum, nisi inquantum ratio sensualitati consensum tribuit. nam, secundum Magist. sent. in 2. dist. 24. sensualitas, & ratio sunt duae potentiae; ratio verò duas habet partes, superiorem scilicet, & inferiorem, superior respicit superiora, inferiora verò inferior. Ideò sicuti in peccato primorum parentum fuit serpens suadens mulieri, & mulier suadens viro: similiter in nobis est sensualitas, quae est tanquàm serpens suadens rationi inferiori, quae est tanquàm mulier, & ratio inferior suadens superiori, quae est tanquàm vir. Vndè, concludere debemus, quòd quamuis in sensualitate, secundum quid, possit esse peccatum; tamen ratio principaliter est illa, cui obediunt caeterae potentiae, & ad illam peccatum, tanquàm ad radicem, reducitur.

Vtrum peccatum ſit cauſa peccati.

RESOLVTIO.

Dicendum eſt ſecundum Magiſt. in 2. ſent. diſt. 36. & D. Th. in 1. 2. Q. 75. art. 4. quòd ſic, ſed ſciendum eſt, quòd vnum peccatum poteſt eſſe cauſa alterius dupliciter, per ſe ſcilicet, & per accidens: per accidens quidem, cùm quis per vnum peccatum amittit gratiam, & ex hoc incidit in aliud peccatum; & ſic primum dicitur eßе cauſa ſecundi per accidens. per ſe verò cùm aliquis ex vno actu peccati diſponitur ſic, quòd alium actum conſimilem committit faciliori modo. Vndè, peccatum (vt dicit Magiſt. loco citato) quod per pœnitentiam non deletur, aut eſt peccatum, & cauſa peccati, aut peccatum, & pœna peccati, aut peccatum, & cauſa, & pœna peccati ſimul.

Vtrum ignorantia ſit peccatum.

RESOLVTIO.

Dicendum eſt ſecundum Magiſt. ſent. in 2. diſt. 22. & Th. in 1. 2. Q. 76. art. 2. quòd ignorantia duplex eſt vincibilis ſcilicet, & inuincibilis. ignorantia vincibilis eſt eorum, quæ homines poſſunt ſcire, & tenentur, & nolunt: & hæc eſt peccatum ſine dubio. ignorantia verò inuincibilis, eſt eorum, quæ homines ſcire

non

non possunt, nec tenentur: & hæc non est peccatum, sed magis pœna peccati, non enim est voluntaria, cùm non sit in potestate nostra. Vndè, ignorantia est peccatum, loquendo de vincibili.

Vtrum Deus sit causa peccati.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum. D. Thom. in 1. 2. Q. 79. art. 1. quòd Deus nullo modo directè potest esse causa peccati, nam peccatũ non est ens, sed nihil: Deus autem est omniũ creaturarum causa, non autem peccati, quod non est creatura, sed potius defectus creaturæ. Deus igitur non potest esse causa peccati, quia esset iniquus; & non posset iustè punire peccatores, si causa peccati eorum esset: sed benè dicere possumus, quòd Deus sit causa non prohibens, quin homo liberè possit facere malum; non autem directè Deus est causa essentialis peccati, nec indirectè, quia Deus non est author mali culpæ, vt in superioribus dictum fuit: sed in tantum Deus dicitur esse causã peccati, in quantum non impedit, sed permittit nos liberè vti actibus voluntatis. Vndè, Deus quamuis sit causa voluntatis, quatenus voluntas est, non tamen dicitur esse causa voluntatis, quatenus inordinata est per actum suum. patet igitur, quòd Deus per se non est causa peccati.

Vtrum

Vtrum Diabolus sit homini causa peccandi.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D.Th. in 1.2.Q.80. art. 1. quòd Diabolus non est causa per se, sed per accidens peccati. solùm enim persuadet nobis Diabolus, vt in culpam incidamus, non autem cogit nos peccare: quia peccatum voluntarium est, non necessarium. Diabolus igitur causa indirecta, & accidentalis est peccati: voluntas verò nostra directè, per suam libertatem peccat, non resistendo diabolicis persuasionibus, & suggestionibus.

Vtrum peccatum primi parentis transeat per originem in omnes posteros.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Magist. sent. in 2. dist. 30. & Th. in 1. 2. Q. 81. art. 1. quòd verè, & realiter peccatum primorum parentum in posteros transit, secundum illud Apost. ad Rom. 5. per vnum hominem peccatum in mundum intrauit, quod quidem peccatum in primis parentibus fuit actuale, in nobis autem est originale, quia ab illis in omnes posteros per generationem deriuatur. Et Ideò cùm primus homo fuerit principium generationis omnium hominum, & pec-

& peccauerit, necesse est, quòd ab illo peccatum tanquam à radice in omnes transeat posteros secundum carnem concupiscentialiter generatos. nec potest imputari particularibus hominibus, sed verè primo parenti peccatum originale imputatur: nam sicuti homicidium non imputatur manui, sed animæ, quæ mouet manum: similiter peccatum originale Adæ imputatur, non nobis, quia in ipso fuit voluntarium, in nobis verò est necessariũ, & ineuitabile. Vndè, manifestum est, quòd peccatum originale per originem transit in omnes; & non est peccatum huius personæ, nisi inquantum hæc persona recipit naturam à primo parente: Vndè vocatur etiam peccatum naturæ.

Vtrum peccatum originale sit magis in carne, quàm in anima.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Th. in 1.2. Q.83. art.1. quòd aliquid potest esse in aliquo dupliciter. Vno modo sicut in causa, vel principali, vel instrumentali. Alio modo sicut in subiecto. peccatum ergo originale fuit in primo parente, sicut in prima causa principali. in semine verò corporali ab eo deciso est peccatum originale, sicut in causa instrumentali, eo quòd per virtutem actiuam seminis traducitur peccatum origi-

originale in prolem simul cum natura humana. in carne verò sicut in subiecto proprio, peccatum originale nullo modo esse potest, sed solùm in anima: nam anima subiectum culpæ esse potest, non autem caro.

Quare Deus animam carni infundit; præsciens ipsam per carnem fore maculandam.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum Magist. sent. in 2. dist. 32. quòd Deus hoc facit, vt saluetur propagationis humanæ institutio. Sed puto, quòd hoc, soli Diuinorũ iudiciorum altitudini remittẽdũ sit.*

Vtrum anima, dum corpori infunditur, talis sit, qualis à Deo creatur.

RESOLVTIO.

D*Icendem est secundum Magist. sent. in 2. dist. 32. quòd anima non est omninò talis: quia à Deo creatur munda, sed ex coniunctione ad carnem maculam contrahit.*

Vtrum mors, & alij corporales defectus, sint effectus peccati.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundũ Th. in 1.2. Q. 85. art. 5. ꝙ sic. sed sciendũ est, ꝙ aliquid est causa alte-*

rius

rius dupliciter. Vno modo per se. Alio modo per accidens. illud dicitur esse causa per se, quod secundũ virtutẽ suæ naturæ, vel formæ producit effectum. per accidens autem aliquid est causa alterius, si sit causa remouens prohibens, sicut dicitur in 8. Phisic. quòd diuellens columnam, per accidens mouet lapidem in columna super positum. Ideò, peccatum primi parentis non est per se causa istorum defectuum, cùm huiusmodi defectus sint præter intentionem peccantis: sed benè per accidens horum, & mortis causa dicitur, inquantum per peccatum primi parentis sublata est originalis iustitia, per quam sublationem secuta est mors, & cæteri omnes defectus corporis, qui quidem defectus secundum iustitiam Dei punientis ordinati sunt, non autem secundum intentionem peccantis, nisi per accidens. nemo enim peccat, vt habeat malum, sed vt habeat bonum, quamuis illud bonum sit apparens, & non verum: Vndè, si postmodum quis, propter peccatũ ab eo cõmissũ, punitur, hoc præter eius intentionẽ euenit. Mors itaq;, & oẽs defectus corporales sunt quædam pœnæ originalis peccati.

Vtrum mors, & cæteri defectus sint homini naturales.

RESOLVTIO.

DIcendum est secundum Thom. in 1. 2. Q. 85. art. 6. quòd homo potest considerari dupliciter,

pliciter, vel secundum suam formam, quæ est anima rationalis: & sic homo naturaliter est incorruptibilis, nec mors homini naturalis est. vel secundum materiam sibi relictam: & sic, quia ex inclinatione materiæ ex contrarijs compositæ, sequitur corruptibilitas in toto, dicere possumus, quod homo naturaliter sit corruptibilis, & mors, & cæteri defectus sint ipsi naturales.

Vtrum aliqua macula maneat in anima, post actum peccati.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum D.Th.in 1.2.Q.86. art.2. quòd macula in anima manet, quãuis transeat actus peccati. macula enim significat defectum quendam nitoris, propter recessum à lumine rationis, vel Diuinæ legis; & ideò quamdiu homo manet extra huiusmodi lumen, manet in eo macula peccati: sed postquam redit ad lumen rationis, & ad lumen Diuinum, quòd fit per gratiam, tunc macula cessat. pœnitentia autem est illa, per quam homo gratiam, & lumen rationis recipit.*

Vtrum omne peccatum inducat reatum pœnæ æternæ.

RESOLVTIO

D*Icendum est secundum D.Thom. in 1.2.Q 87. artic.5. quòd peccatum duplex est, mortale*

scilicet,

scilicet, & veniale. Ideò peccatum mortale causat reatum pœnæ æternæ, in quantum irreparabiliter repugnat ordini Diuinæ iustitiæ, per hoc scilicet, quod contrariatur ipsi principio ordinis, quod est vltimus finis. Peccatum verò veniale non est causa nisi pœnæ temporalis, nam in huiusmodi peccatis, est quidem aliqua inordinatio, non tamen per contrarietatem ad vltimum finem, sed solùm circa ea, quæ sunt ad finem; veluti cùm homo, etsi nimis ad aliquam rem temporalem afficiatur, non tamen pro ea vellet Deum offendere, faciendo aliquid contra eius præceptum. Vndè, huiusmodi peccatis non debetur pœna æterna, sed temporalis. & sic manifestum est, quòd non omnè peccatum, sed solùm mortale inducit reatum pœnæ æternæ.

Vtrum peccatũ veniale posſit fieri mortale.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Th. in 1.2.Q.88. art.3. & 4. quòd peccatum veniale, quatenus veniale est, nullo modo fieri mortale potest. si verò peccatum veniale consideretur, vt actus transiens de vno actu simplici ad actũ compositum. sic peccatum veniale potest fieri mortale: nam mutatur actus voluntatis simplex in cõpositum: veluti, v. g. siquis moueatur à concupiscentia videndo mulierem: in primo actu non

committit peccatum mortale, sed veniale. cùm verò cogitat de ipsa inordinatè, componendo, & diuidendo, adhibendo consensum, tunc transit de veniale ad mortale. & sic veniale per dispositionem hoc modo fit mortale. si quis verò quærat, an multa venialia peccata constituant vnum mortale, dicendum est, quòd peccata venialia possunt considerari dupliciter. Vno modo quatenus venialia sunt, (vt dixi.) & sic nullo pacto, venialia multa possunt constituere vnum peccatum mortale: ratio est, quia peccatum mortale habet reatum pœnæ æternæ: veniale verò reatum pœnæ temporalis. Vndè, nec omnia paccata de mundo possunt habere tantum de reatu, quantum vnum peccatum mortale. Alio modo considerari possunt peccata venialia dispositiuè: & sic verum est, quòd vnum, vel duo, vel multa venialia possunt facere vnum mortale per dispositionem ad illud, vt dictum est.

Vtrum primus homo in statu innocentiæ potuerit peccare venialiter.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D.Th.in 1.2.Q.89. art.3. quòd primus homo peccare venialiter non potuit, antequam peccaret mortaliter. nam nullo modo potuit esse, vt in statu innocentiæ, committeret primus homo aliquid, quod esset de se peccatum veniale, antequam integritatem

tem

tem primi status amitteret, peccando mortaliter. clarum est igitur, quòd primus homo in statu innocentiæ venialiter peccare non potuit, sed solùm mortaliter. postquam verò mortaliter peccauit, etiam ex consequenti venialiter peccare potuit.

Vtrum blasphemiam sit peccatum mortale.

RESOLVTIO.

DIcendum est secundum D.Th.in 2.2.Q.13. art.2. quòd sic, nam peccatum mortale est illud, per quod homo separat̃ à primo principio spiritualis vitæ, quod est charitas Dei Opt. Max. Vndè, quæcunque charitati repugnant ex suo genere sunt peccata mortalia: blasphemia autem secundum genus suum repugnat charitati Diuinæ, cùm deroget Diuinæ bonitati, quæ est obiectum charitatis. & ideò blasphemia est peccatum mortale ex suo genere.

Vtrum peccatum in Spiritum Sanctum sit irremissibile.

RESOLVTIO.

DIcendum est secundum Magist. sent. in 2. distin.43. & Th. in 2.2.Q.14.art.3. quòd peccatum in Spiritum Sanctum dicitur irremissibile solùm per finalem impænitentiam, non alio modo: & hoc est, quando aliquis perseuerat in peccato mortali, vsque ad mortem. & dicitur in Spiritum

Sanctum, quia est contra virtutem, & bonitatem Spiritus Sancti, non autem quòd Deus nolit, vel non possit remittere aliquod peccatum ita specialiter nominatum, quia si sic, tunc misericordia Dei non esset infinita, quòd omninò falsum est, sed hoc ideò est, quia homo semper perseuerans in peccato mortale, vel credit nunquàm à Deo posse obtinere veniam: vel putat illam sine pœnitentia obtinere. præterea, sciendum est quòd per peccatum in Spiritum Sanctũ, non debemus intelligere, quòd alia sit offensio, qua offenditur Spiritus Sãctus, & alia, qua offenditur filius, & alia, qua offenditur pater: eo quòd offensa vnius est offensa omnium: sed quia patri attribuitur potentia, ideò peccatum ex infirmitate propriè cõmititur contra patrem, communiter verò contra omnes personas: similiter, quia filio attribuitur sapientia, peccatum ex ignorantia propriè committitur contra filium, communiter autem contra omnes personas. Spirituisancto verò attribuitur bonitas, ideò peccatũ ex malitia committitur contra Spiritum Sanctum propriè, sed communiter contra totam Trinitatem, vt de alijs dictum est. Vndè peccatum in Spiritum Sanctum dicitur irremissibile, quia peccator ex propria malitia nunquàm vult agere pœnitentiã; & si peccator infinita peccata ex propria malitia commisisset, adhuc posset agere pœnitentiam, quia Deus ex sua infinita bonitate, pœnitentiam agentibus,

tibus,omnia peccata remittit. Vndè, ex parte sui peccatum in Spiritum Sanctum est irremissibile, scilicet per finalem impœnitentiam, licet Deus remittere possit.

Quare peccatum primorum parentũ remediabile fuit, non autem peccatum Angelorum.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Mag. sent. in 2. distin. 21. quòd hoc ideò fuit, quia cùm primus homo per alium fuerit seductus, per alium etiam reparari debuit. Diabolus verò, quia nullo suadente peccauit, etiam ipsius peccatum irremediabile fuit. Alio etiam modo respondetur; quia non tota Angelica natura præuaricata erat, vt corrueret: tota autem humana corruerat, ergo melius erat reparanda.

Quare præsumptio est minus peccatum, quàm desperatio?

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Tho. in 2. 2. Q. 21. art. 2. quòd hoc ideò est, quia magis proprium est Deo misereri, & parcere, quàm punire, propter eius infinitam bonitatem. illud enim secundum se Deo conuenit, hoc autem secundum nostra peccata.

Vtrum desperatio, & præsumptio simpliciter sint causa mortis æternæ.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D.Th. in 2. 2. loco citato, quòd sic, nam desperatio, & præsumptio simpliciter sunt peccata in Spiritum Sanctum, sed cùm peccatum in Spiritum sanctum simpliciter ex parte sui (vt dictum est) sit irremissibile, & causa æternæ mortis, sequitur etiam dicendum, quòd desperatio, & præsumptio sint causa mortis æternæ. & ratio huius est, quia sicuti falsum, & hæreticum est, quòd Deus pœnitentibus non indulgeat, vel quòd peccantes ad pœnitentiam non conuertat: ita similiter erroneum, & hæreticum est, quòd in peccato perseuerantibus veniam concedat, & à bono opere cessantibus gloriam largiatur. patet ergo, quòd desperatio, & præsumptio simpliciter sunt causa mortis æternæ.

Vtrum peccare sub spe veniæ, semper ad præsumptionem pertineat.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D.Th. in 2. 2. Q. eadem art. 2. in resp. ad tertium, quòd peccare sub spe veniæ, cum proposito perseuerandi in peccato, ad præsumptionem pertinet. peccare verò sub spe veniæ quandoque percipiendæ, cum proposito

abstinendi

abstinendi à peccato, & pœnitendi de peccato, hoc non est præsumptionis simpliciter: quia per hoc videtur habere voluntatem minus firmatam ad peccandum. Vndè, peccare sub spe veniæ non semper ad præsumptionem pertinet.

Vtrum peccatores sint ex charitate diligendi.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum D.Th. in 2.2. Q.25. art.6. quòd in peccatoribus duo possunt considerari natura scilicet,& culpa. Secundum naturam quidem, quam à Deo habent, sunt capaces beatitudinis: & ideò peccatores secundum eorum naturam sunt ex charitate diligendi. Secundum verò eorum culpam, quæ Deo aduersatur, & est beatitudinis impedimentum, sunt proculdubio odiendi quicunq; peccatores, etiam Pater,& Mater, & propinqui. præterea, secundum præceptũ Diuinum, & B. Aug. omnis proximus est diligendus, sed omnis homo est proximus, igitur omnis homo est diligendus: sed peccatores non desinunt esse homines, quia peccatum non tollit naturam: igitur peccatores quatenus homines sunt, ex charitate diligendi sunt.*

Vtrum aliquis posſit habere odio ſeipſum.

RESOLVTIO.

Dicendum eſt ſecundum D. Th. in 1.2. Q.29. art.4. quòd impoſſibile eſt, quòd aliquis, per ſe loquendo, odiat ſeipſum. nā naturaliter vnumquodq; appetit bonum, nec poteſt aliquid ſibi appetere, niſi ſub ratione boni, quia malum eſt præter intentionem voluntatis. per accidens autem contingit, quòd aliquis ſeipſum odio habeat, quatenus illud, quod appetit, ſecundum quideſt bonum, ſimpliciter verò malum: & ſecundum hoc, aliquis per accidens, (ſcilicet præter eius intentionem) vult ſibi malum, quod eſt odire. qui enim diligit iniquitatem, non ſolùm animam ſuam odit, ſed etiam ſeipſum totum.

Vtrum ex neceſsitate charitatis debeamus diligere inimicos.

RESOLVTIO.

Dicendum eſt ſecundum D.Tho. in 2.2.Q.25. art.8. quòd dilectio inimicorum tripliciter poteſt conſiderari. Vno modo, vt inimici diligantur in quantum ſunt inimici, & hoc eſt diabolicum, & charitati repugnans, quia hoc eſſet diligere malum alterius. Alio modo, poteſt accipi dilectio inimicorum quantum ad naturam in vniuerſali, & ſic dilectio inimicorum eſt de neceſſi-

tate charitatis. Natura enim, cùm à Deo creata sit, perfecta, & bona est. Tertio modo potest considerari dilectio inimicorum in speciali, vt scilicet aliquis specialiter moueatur motu dilectionis ad inimicum: & istud non est de necessitate charitatis absolutè, sed secundum quid; quia nec etiam moueri motu dilectionis, in speciali, ad quoslibet homines singulariter, est de necessitate charitatis, cùm hoc sit quasi impossibile. est tamen de necessitate charitatis secundum præparationem animi, scilicet quòd homo habeat animum paratū ad hoc, quòd in singulari inimicum diligeret, si necessitas occurreret, & ei subueniret quantum ad victum, & vestitum. sciendum tamen est, quòd vnusquisque tenetur ex necessitate charitatis non solùm, pro amicis, sed etiam pro inimicis orare: & si quis intentionaliter vellet inimicum excludere, mortaliter peccaret. inimicus itaq; non quatenus inimicus, sed quatenus homo, ex necessitate charitatis diligendus est.

Vtrum Dęmones sint diligendi.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum D.Th. in 2. 2. Q. 25. art. 11. quòd Dæmones possunt considerari dupliciter. Vno modo in quantum Dæmones sunt, scilicet propter culpam deformes: & sic odio quilibet Dæmones habere debet. Alio modo possunt conside-*

conſiderari Dæmones quatenus ſimpliciter creaturæ ſunt (ſcilicet quantum ad eorum naturam, quæ fuit creata bona à Deo Opt. Max.) & ſic Dæmones diligendi ſunt. ratio eſt, quia qui odit creaturam, quatenus creatura eſt, odio habet etiam creatorem, ſcilicet Deum Opt. Max. qui omnium creator eſt. Vndè, debemus Dæmones diligere, ſicuti etiam creaturas irrationales, in quantum ſcilicet volumus illos ſpiritus, & illas creaturas in ſuis naturalibus conſeruari ad gloriam Dei.

Vtrum Deus magis diligendus ſit, quàm proximus.

RESOLVTIO.

Dicendum eſt ſecundum D. Thom. in 2. 2æ Q. 26. art. 2. & D. Bonauent. in 3. ſent. diſt. 29. Q. 2. quòd Deus magis diligendus eſt, quàm proximus; ratio, eſt quia Deus non ordinatur ad aliud, ſed potius ipſe eſt finis, ad quem principaliter ordinantur creaturæ capaces beatitudinis, qui finis eſt vnus ſolus, & vltimus, & ſummum Bonum, non habens aliquid ſuperius ſe, vel ſibi æquale. præterea, ſi Deus propter ſe, & ſuper omnia (vt dictum ſuperius eſt) diligitur dilectione fruitionis: proximus autem propter aliud, ſcilicet propter Deum, dilectione vſus: certè, & ſine dubio, charitas facit nos Deũ plus, quam proximum diligere. Deus igitur, vt

dicit

dicit D. Th. magis eſt diligendus, quia ipſe eſt cauſa Beatitudinis: proximus autem eſt diligendus, ſicut Beatitudinẽ ab eo ſimul nobiſcũ participans.

Vtrum quatuor ſint diligenda, ſcilicet Deus, anima propria, proximus, & corpus proprium.

RESOLVTIO.

Dicendum eſt ſecundum D. Bonau. in 3. ſent diſt. 28. Q. 6. quòd quatuor ſunt diligenda Vnum quod eſt ſupra nos. ſ. Deus. Alterum quod nos ſumus. ſ. anima propria. Tertium quod iuxta nos eſt, ſ. proximus. Quartum quod infra nos eſt. ſ. corpus proprium. nam diligens aut habet reſpectum ad id, quod eſt ſupra ſe, aut ad ſe, aut ad id, quod eſt iuxta ſe, aut ad id, quod eſt infra ſe. & ſecundum hoc, quatuor (vt diximus) ex charitate diligenda ſunt, nempe Deus, anima ꝓpria, proximus, & corpus propriũ.

Vtrũ filius magis ſit delegendus, quàm pater.

RESOLVTIO.

Dicendum eſt ſecundum D. Th. in 2. 2. Q. 26. art. 9. quòd dilectio poteſt conſiderari dupliciter. Vno modo ex parte obiecti; & ſic pater eſt magis diligendus, quàm filius; quia. ſ. patrem diligimus ſub ratione principij, quod

quod habet rationem eminentioris boni. Alio modo dilectio potest considerari ex parte ipsius diligentis: & sic magis diligitur, quod est coniunctius. & secundum hoc, filius est magis diligendus, quàm pater; ratio est, quia parentes magis sciunt aliquos esse suos filios, quam e conuerso. alia ratio est, quia pater statim incipit diligere filium: filius verò tempore procedente incipit diligere patrem.

Vtrum homo magis debeat diligere patrem, quàm matrem.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum Th. in 2. 2. Q. 26. art. 10. quòd pater, & mater possunt considerari dupliciter. Vno modo, in quantum sunt vna carò, scilicet vnum principium generationis simul: & sic non magis patrem, quàm matrem diligere debemus. nisi enim fuisset pater, non esset filius: similiter nisi fuisset mater, filius non potuisset naturaliter generari à patre solum. Alio modo pater, & mater possunt considerari, quatenus sunt duo principia, quorum vnum sit agens, & alterum patiens: & sic, quia agens nobilius est patiente, (vt vult Phil.) dicendum est, quòd pater magis est diligendus, quàm mater. alia ratio est, quia pater obtinet locum formæ: mater*

ter verò materiæ: forma autem nobilior est materia, ergo pater hoc modo magis diligendus est.

Vtrum homo plus debeat diligere Vxorem, quam patrem, & matrem.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D. Th. in 2.2. Q. 26. art. 11. quòd gradus dilectionis considerari potest dupliciter. Vno modo secundum rationem boni. Alio modo secundum coniunctionem ad diligentem. Secundum ergo rationem boni, quod est obiectum dilectionis, magis sunt diligendi parentes, quàm vxores: quia diliguntur sub ratione principij, & cuiusdam boni eminentioris. Secundum autem rationem coniunctionis, magis diligenda est vxor: quia vxor coniungitur viro, vt vna caro existens, secundum illud Math. 19. itaque non sunt Duo, sed vna caro. & ideò intensius diligitur vxor, sed maior reuerentia est parentibus exhibenda. nec obstat illud, quod dicitur Gen. 2. relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ; nam illa verba intelligenda sunt solùm quantum ad vnionem copulæ carnalis, & cohabitationis; non autem quantum ad obligationem: nam cùm homo habuerit esse per generationem à patre, & matre, etiam illos magis diligere debet.

Vtrum

Vtrum dare eleemosynam sit in præcepto.

RESOLVTIO.

Dicendum eſt ſecundũ Th. in 2.2. Q.32. art. 5. ꝙ dare eleemoſynã de ſuperfluo, & dare eleemoſynã ei, qui eſt in extrema neceſſitate, eſt in ꝑcepto, aliàs verò eſt in cõſilio. Vndè, non oĩs neceſſitas obligat ad præceptum, ſed illa ſola, ſine qua, is, qui neceſſitatem patitur, ſuſtentari non poteſt. patet igitur, quòd dare eleemoſynam non eſt in præcepto, niſi de ſuperfluo, & illis ſolùm, qui in extrema ſunt neceſſitate, vt dictum eſt.

Vtrum eleemoſinæ corporales ſint potiores, quàm ſpirituales,

RESOLVTIO.

Dicendum eſt ſecundum D. Th. in 2.2. Q.32. art. 3. quòd corporales, & ſpirituales eleemoſynæ poſſunt comparari ad inuicem dupliciter. Vno modo ſimpliciter, ſ. reſpectu ſpiritus; & ſic eleemoſynæ ſpirituales præferuntur corporalibus: nam illud, quod exhibetur, nobilius eſt. ſ. Donum ſpirituale, quod præeminet corporali. & ratio huius eſt; quia ſicuti homo ſibi ipſi magis debet prouidere, quantum ad ſpiritum, quàm quantum ad corpus: ſimiliter, & proximo, quem debet, ſicut ſeipſum, diligere. Alio modo ſpirituales, & corporales eleemoſynæ poſſunt ad inuicem

uicem

uicem comparari ſecundum quid, reſpectu ſ. alicuius caſus particularis: & ſic aliqua eleemoſyna corporalis alicui ſpirituali præfertur. ſicut vnuſquiſque debet potius paſcere fame morientem, quàm inſipientem docere.

Vtrum poſsit fieri eleemoſyna de iniuſtè acquiſitis.

RESOLVTIO.

DIcendum eſt ſecundum D.Th. in 2.2.Q.32. art.7.quòd tripliciter aliquid poteſt eſſe illicitè acquiſitum. Vno modo per furtum, & rapinam, & vſuras, & ſimilia; & ſic de talibus illicitè acquiſitis, cùm homo teneatur ad reſtitutionem, eleemoſyna fieri non poteſt. Alio modo aliquid illicitè acquiritur per ſymoniã, veluti cùm aliquis emit, vel vendit aliquod ſpirituale; & ſic de hoc, quia dans, & recipiens contra iuſtitiam diuinæ legis faciunt, non debet fieri reſtitutio, ſed debet in eleemoſynas erogari. & eadem ratio eſt in ſimilibus, in quibus ſcilicet, & datio, & acceptio eſt contra legem. Tertio modo aliquid illicitè acquiritur non ex parte rei acquiſitæ, ſed ex parte illius, ex quo acquiritur, quod eſt illicitum, vt pecunia, quam acquirunt mulieres per meretricium, quod eſt cõtra legem Diuinam, mulier enim exercendo meretricium turpe agit, & mortaliter peccat. ſed in eo quod accepit, non iniuſte agit,

nec

nec contra legem. Vndè quod ſic illicitè acquiſitum eſt, retineri poteſt, & de eo eleemoſyna fieri.

Vtrum aliquis ſub poteſtate conſtitutus poſſit eleemoſynam facere.

RESOLVTIO.

D*Icendum eſt ſecundum D.Th. in 2.2.Q.32. art.8. quòd aliquis exiſtens ſub poteſtate alterius, quatenus huiuſmodi eſt, nullo modo à ſe poteſt alicui eleemoſynam dare, niſi habeat conſenſum cum illo, cuius poteſtati eſt ſubditus. nam vna eſt maxima in omnibus ſcientijs, quòd ſcilicet inferiora reguntur à ſuperioribus. ſi verò aliquis habeat aliquid, ſecundum quod poteſtati ſuperioris non ſubſit, tunc de hoc ſine dubio poteſt eleemoſynam facere.*

Vtrum correctio fraterna ſit actus charitatis.

RESOLVTIO.

D*Icendum eſt ſecundum D.Tho. in 2.2. Q.33. art.1. quòd ſic, nam corripere delinquentem eſt quædam eleemoſyna ſpiritualis, ſed eleemoſyna eſt actus charitatis, ergo correctio fraterna eſt actus charitatis. ſed notandum eſt, quòd duplex eſt correctio delinquentis. Vna quidem, quæ adhibet remedium peccato, in quantum eſt quoddam malum ipſius peccantis: & iſta eſt propriè correctio fraterna, quæ ordinatur ad emendationem delinquen-*

linquentis, & etiam propriè est actus charitatis. Alia verò est correctio, quæ adhibet remedium peccato delinquentis, secundum quod est in malum aliorum, & præcipuè in nocumentum communis boni. & talis correctio est actus iustitiæ, cuius est conseruare rectitudinem iustitiæ vnius ad alterum.

Vtrum sit licitum occidere peccatores.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Thom. in 2. 2. Q.64. art.2. quòd occidere peccatores maximè licitum est. nam videmus, quòd si saluti totius corporis humani expediat præcisio alicuius membri, puta, cùm est putridum, vel corruptiuum aliorum membrorum, laudabiliter, & salubriter abscinditur. quælibet autem persona singularis comparatur ad totam communitatem, sicut membrum ad totum corpus. & ideo si aliquis homo sit periculosus communitati, & corruptiuus ipsius, propter aliquod peccatum, laudabiliter, & salubriter occiditur, vt bonum commune conseruetur.

Vtrum occidere hominem peccatorem liceat priuatæ personæ.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Thom. in 2.2.Q.64. art. 3. quòd occidere malefactorem licitum

est, in quantum ordinatur ad salutem totius communitatis: & ideò ad illum solùm pertinet, cui committitur cura communitatis conseruandæ: sicut ad medicum pertinet præcidere membrum putridum, quando ei commissa fuerit cura salutis totius corporis. cura autem boni communis commissa est principibus habentibus publicam authoritatem: & ideò eis solùm licet malefactores occidere, non autem priuatis personis.

Vtrum liceat alicui occidere seipsum.

RESOLVTIO.

DIcendum est secundum D.Tho. in 2.2.Q.64. art.5. quòd occidere seipsum omninò illicitũ est, & peccatum mortale. nam naturaliter quælibet res seipsam amat; & ideò conseruat se in esse, & corrumpentibus resistit quantum potest. Vndè occidere seipsum est agere contra inclinationem naturalem, & contra charitatem, qua quilibet debet seipsum diligere. & semper est peccatum mortale. Vndè, ad solum Deum pertinet iudicium mortis, & vitæ, secundũ illud Deut.32. ego occidam, & ego viuere faciam.

Vtrum furtum sit peccatum mortale.

RESOLVTIO.

DIcendum est secundum Tho. in 2.2. Q.66. art.6. ꝙ furtum simpliciter est peccatũ mortale.

le. nam peccatū mortale, est quod cōtrariatur charitati, quatenus est vita animæ spiritualis, charitas autē consistit quidē principaliter in dilectione Dei, secundariò autē in dilectione proximi, ad quā pertinet, vt proximo bonū velimus. per furtum autem homo infert nocumentum proximo in suis rebus, & si passim homines sibi inuicem furarentur periret humana societas. Vndè, furtum, tanquàm contrarium charitati, est peccatum mortale.

Vtrum liceat alicui furari propter necessitatem.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum D. Tho. in 2.2. Q.66. art.7. quòd furari licitum est, cùm imminet personæ periculum, & aliter subueniri non potest. Vnde vti re aliena, siue manifestè, siue occultè accepta in casu necessitatis extremæ non habet propriè rationem furti: quia per talem necessitatem efficitur suum id, quod aliquis accipit ad sustentandam propriam naturam, & vitam.*

Vtrum liceat condemnato ad mortem se defendere, si posit.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum Thom. in 2.2. Q.69. art.4. quòd aliquis damnatur ad mortem dupliciter. Vno modo iustè: & sic non licet condem*

nato ſe defendere . licitum enim eſt Iudici eum reſiſtentem impugnare : Vnde relinquitur quòd ex parte eius ſit bellum iniuſtum , & conſequenter peccat . Alio modo condemnatur aliquis iniuſtè : & ſic alicui , in hoc caſu , licet ſe defendere ; nam ſicuti licet reſiſtere latronibus, ita licet reſiſtere, in tali caſu , malis principibus . patet igitur , quòd iniuſtè condemnato ad mortem , licet ſe defendere, ſi poſſit . iuſte verò condemnato non licet niſi forte propter ſcandalum .

Vtrum Aduocatus peccet, ſi iniuſtam cauſam defendat.

RESOLVTIO.

D*Icendum eſt ſecundum Thom. in 2.2.Q.71. art.3. quòd Aduocatus , vel ignoranter , vel ſcienter omnes cauſas defendit : ſi ſcienter iniuſtam cauſam defendat, tunc graue peccatum committit, & ad reſtitutionem tenetur eius Damni, quod contra iuſtitiam,per eius auxilium altera pars incurrit . illicitum enim eſt alicui cooperari ad malum faciendum, ſiue conſulendo, ſiue adiuuando , ſiue qualitercunque conſentiendo , quia conſilians , & coadiuuans, quodammodo eſt faciens . Vndè omnes tales ad reſtitutionem tenentur. ſi autem ignoranter iniuſtam cauſam defendat , putans eſſe iuſtam, excuſatur ſecundum modum, quo ignorantia excuſari poteſt .*

DE

DE INCARNATIONE.

Vtrum fuerit conueniens Deum incarnari.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D. Tho. in 3. part. Q. 1. art. 1. quòd Deum incarnari conuenientissimum fuit, vt per visibilia monstrentur inuisibilia Dei: ad hoc enim totus mundus factus est, vt patet per illud Apost. ad Rom. 1. inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. sed per incarnationis mysterium monstratur simul Bonitas, Iustitia, Sapientia, & potentia Dei, vel virtus. Bonitas quidem, quoniam non despexit proprij plasmatis infirmitatem. Iustitia verò, quia sicuti per Diabolum homo, similiter per hominem (nempe Christum) Diabolus victus fuit. Sapientia verò, quoniam inuenit difficillimi pretij decentissimam solutionem. potentia verò, siue virtus infinita, quia nihil est maius, quàm Deum fieri hominem. Deum igitur incarnari conueniens fuit. Præterea, quicquid pertinet ad rationem boni, conueniens est Deo, pertinet autem ad rationem boni, vt se alijs communicet, quòd quidem maximè fit per hoc, quòd naturam creatam sic sibi coniungit, vt trium scilicet verbi, animæ, & carnis vna sit persona. Deum igitur incarnari maximè conueniens fuit.

Vtrum fuerit necessarium, ad reparationem generis humani verbum Dei incarnari.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D.Tho. in 3. part. Q. 1. art. 2. quòd aliquid potest esse necessarium dupliciter. Vno modo simpliciter, vt cibus est necessarius simpliciter ad conseruationem humanæ vitæ. Alio modo secundum quid, vt equus est necessarius ad iter. Ideò primo modo, Deum incarnari, non fuit necessarium, ad reparationem humanæ naturæ. Deus enim per suam omnipotentiam poterat hominem, sine dubio, multis alijs modis reparare. Secundo verò modo, filium Dei, ad humanæ naturæ reparationem, incarnari, maximè necessarium fuit.

Vtrum si homo non peccasset Deus incarnatus fuisset.

RESOLVTIO.

Circa hanc quæstionem duæ sunt opiniones. Prima est D.Th. Altera verò Scoti. Diuus Th. in 3. part. Q. 1. art. 3. dicit, quod si Adam non peccasset, Deus non fuisset incarnatus. reddit rationem, quoniam in sacra scriptura vbiquè in-

carna-

carnationis ratio, ex peccato primi hominis assignatur, ergo incarnationis opus ordinatum esse à Deo in remedium peccati conuenientius dicitur, ita quod peccato nõ existente, incarnatio non fuisset. Subdit tamen D. Tho. loco citato, quòd potuisset, etiam peccato non existente, Deus incarnari. reddit rationem, quia potentia Dei non limitatur, ad hoc scilicet, quòd incarnatio sit in remedium peccati. Vndè, D. Th. primò loquitur de facto, secundò verò de possibile. Scotus verò in 3. sent. distin. 7. Q. 3. probabiliter asserit, quòd si Adam non peccasset, adhuc verbum fuisset incarnatum. reddit rationem, quoniam quamuis non venisset vt redemptor, venisset tamen vt glorificator. quidam verò Scotista dicit, quòd etiam peccato non existente, Christus venisset vt redemptor, non vt redemptor subleuatiuus, sed vt redemptor præseruatiuus, quia præseruasset nos à malis. Vndè, si Adam non peccasset (vt dicit Petrus Tat. in 3. sent. loco citato) Christus venisset quatuor modis; primò, vt Caput Ecclesiæ. Secundò, vt glorificator. Tertiò, vt redemptor præseruatiuus. Quartò, vt immortalis, & impassibilis. Vndè, prima opinio est optima, sed hæc secunda, meo iudicio, non est despicienda.

Vtrum principaliter incarnatio Christi facta fuerit ad tollendum peccatum originale, vel actuale.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D.Th. in 3. part. Q.1. art.4. quòd peccatum actuale, & originale possunt comparari adinuicem dupliciter. Vnomodo intensiuè: sicuti est maior albedo, quæ est intensior. & per hunc modum, maius est peccatum actuale, quàm originale, quia plus habet de ratione voluntarij. Vndè, quantum ad magnitudinem peccati intensiuam, Christus principalius venit ad tollendum peccatum actuale, quàm originale. Alio modo peccatum originale, & actuale comparari adinuicem possunt extensiuè, sicut dicitur maior albedo, quæ est in maiori superficie. & hoc modo peccatum originale (per quod totum genus humanum inficitur) est maius peccato actuale, quod est proprium personæ singularis. Vndè, quantum ad magnitudinem extensiuam peccati, Christus principalius venit ad tollendum peccatum originale, quàm actuale, quia bonum vniuersale eminentius est, quàm bonum particulare. & sic dicere possumus, quòd Christus venit in hunc mundum non solùm ad delendum illud peccatum actuale primorum scilicet parentum, (quod deinde traductum est originale

in po-

in posteros) sed etiam ad deletionem omnium peccatorum, quæ postmodum superaddita sunt; & hoc intelligendum est, non secundum effectum, sed secundum sufficientiam remedij, nam filius Dei, ex parte sui, fuit sufficiens redemptor ad deletionem omnium peccatorum; licèt non omnia deleantur, propter defectum hominum, qui Christo non inhærent.

Vtrum vnio animæ, & corporis facta fuerit in Christo.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Th. in 3. part. Q. 2. art. 5. quòd realiter in Christo anima corpori vnita fuit, nam Christus dicitur homo vniuocè cum alijs hominibus, vt potè eiusdem speciei existens, secundum illud Apost. ad Philip. 2. in similitudinem hominum factus. pertinet autem ad rationem speciei humanæ, quòd anima corpori vniatur. Vndè, necesse est dicere, quòd in Christo fuerit anima corpori vnita.

Vtrum Diuinæ Naturæ conueniat assumere naturam creatam.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Th. in 3. part. Q. 3. art. 2. quòd in verbo assumptionis duo significantur, scilicet principium actionis, & terminus

nus eius. esse autem principium assumptionis; conuenit Naturæ Diuinæ, secundum seipsam, quia eius virtute assumptio facta est; sed esse terminum assumptionis non conuenit Naturæ Diuinæ secundum seipsam, sed ratione personæ, in qua considératur. & ideò propriissimè, & primò persona dicitur naturam creatam aßumere. secundariò autem dici potest, quòd etiam natura aßumpsit naturam ad sui personam, scilicet quòd Diuina natura in persona filij, humanæ naturæ vnita est. Vndè, secundum hunc modum dicitur Natura incarnata.

Vtrum vna persona posſit ſine alia naturam creatam aſſumere.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum. D. Th. in 3. part. Q. 3. art. 4. quòd in assumptione duo considerantur actus assumentis, & terminus assumptionis. Actus assumentis procedit ex Diuina virtute, quæ communis est tribus personis: sed terminus aßumptionis est persona: & ideò dicamus, quòd actio aßumptionis communis est tribus personis, sed terminus aßumptionis, conuenit ita vni personæ, quod non alij. tres enim personæ fecerunt, vt humana natura vniretur vni personæ filij. Vndè quamuis tota Trinitas incarnationem Christi sit operata, (eo quòd opera Trinitatis*

nitatis ad extra sunt indiuisa,) sola tamen persona filij est incarnata: nam aßumptio humanæ naturæ ad ipsum terminata est, vt dicit Magist. sent. in 3. dist. 1.

Vtrum fuerit magis conueniens, quòd persona filij assumeret humanam naturam, quam alia persona Diuina.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Magist. sent. in 3. dist. 1. & Th. in 3. part. Q. 3. art. 8. quòd magis fuit conueniens, quòd filius assumeret humanam naturam, quam alia persona Diuina. & hoc ostenditur tribus rationibus, quarum prima sumitur ex appropriato filij, scilicet sapientia; nam consonum fuit, vt Deus, qui in sapientia omnia condidit, secundum illud Ps. omnia in sapientia fecisti, per sapientiam etiam omnia restauraret. Secunda ratio sumitur ab origine ipsius filij, origo enim filij, est esse ab alio: congruum igitur fuit, vt primò mitteretur ille, qui est à solo patre, deinde verò Spiritus Sanctus, qui est à patre, & filio. Tertia ratio sumitur similiter ex proprio ipsius filij, nam proprium filij est esse filium, ideò congruum fuit, quòd ille, qui erat filius Dei in Diuinate, idem fieret filius hominis in humanitate: qui quidem filius est verus Deus,

& verus

& verus homo: nec sunt Duo filij, sed vnus in duabus Naturis inseparabilibus. Vndè, conueniens fuit, vt per verbum veræ sapientiæ, homo reduceretur in Deum, qui per inordinatum appetitum scientiæ recesserat à Deo.

Vtrum fuerit conueniens, quòd filius Dei humanã naturam assumeret ex stirpe Adæ.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Mag. sent. in 3. dist. 12. & Th. in 3. part. Q. 4. art. 6. quòd hoc maximè conueniens fuit. nam quamuis verbum potuerit aßumere aliam humanam naturam, quæ. s. non fuißet de generatione primi hominis, (sicuti enim formauit primum hominem de terra sine generatione alterius, sic etiam potuisset de nouo formasse humanam Naturam, & illã assumpsisse) tamen magis fuit conueniens, ꝙ humana natura assumeretur à Deo de generatione Adæ, vt per illũ vinceretur Diabolus, per quem homo victus fuit.

Vtrum Christus descenderit de Cœlo, quantum ad corpus.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D. Th. in 3. part. Q. 5. art. 2. in resp. ad primum, quòd Christus dicitur de Cœlo descendiße dupliciter. Vno modo ratione Diuinæ naturæ, non ita quòd Natura Diuina in

na in Cælo esse desierit, sed quia in infimis nouo modo esse cœpit, scilicet secundum naturam assumptam. Alio modo ratione corporis, non quia ipsum corpus Christi, secundum suam substantiam de Cælo descenderit, sed quia virtute cælesti, i. virtute Spiritus Sancti, corpus eius formatum fuit.

Vtrum filius Dei assumpserit corpus, & animam simul.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum Mag. sent. in 3. dist. 2. & D. Th. in 3. part. Q. 6. art. 1. quòd simul, & semel, in eodem tempore, filius Dei carnem, & animam aßumpsit: nec prius carnem, quàm animam. non obstante tamen, quòd dignitatis ordine, non temporis, carnem assumpsit mediante anima, nam Diuina Natura est tantæ simplicitatis, quòd non debuit immediatè vniri carni, de limo terræ formatæ, nisi mediante spiritu creato, scilicet anima. quo ordine, anima media inuenitur inter Deum, & carnem, sicuti eodem modo Angelus dicitur medius inter hominem, & Deum. præterea, quia primus homo totam humanam Naturam corruperat. s. corpus, & animam simul, ideò conueniens fuit, quòd filius Dei similiter totam naturam. s. animam, & carnem simul assumeret, vt totam simul curaret, & sanctificaret. vniuit igitur sibi filius Dei carnem, & animam*

mam

mam simul, quæ quidem vnio ab intellectu creato inuestigari non potest. in qua quidem vnione non corpus fantasticum, sed verum corpus natum de muliere Christus assumpsit; licèt hoc hæretici negent, credentes verbum Dei veram carnem non posse assumere sine sui inquinatione; qui error excluditur per simile de radio solis: radios enim solares videmus super immunda, & fæda diffundi, & tamen non inquinari. ideò si hoc est verum de sole, erit sine dubio magis verum de filio Dei, qui sine vlla macula, & sui inquinatione factus est verus homo. patet igitur, quòd filius Dei corpus, & animam simul assumpsit.

Vtrum caro prius fuerit à Verbo assumpta, quàm animæ vnita.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Th. in 3. part. Q. 6. art. 4. quòd cùm caro humana sortiatur esse per animam, non debuit ante assumi, quā esset caro humana, quòd factum est anima rationali adueniente. sicut igitur anima non est prius assumpta, quàm caro, (quia contra naturam animæ est, vt prius sit, quàm corpori vniatur) ita caro non debuit prius assumi, quàm anima, quia non prius est caro humana, quàm habeat animam rationalem. Vndè possumus dicere, quòd ante aduentum animæ, non est caro humana, sed potest

esse

esse dispositio ad carnem humanam: in conceptione tamen Christi, Spiritus Sanctus, qui est agens infinitæ virtutis, simul & materiam disposuit, & ad perfectum perduxit.

Vtrum in Christo fuerit fides.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum. D. Tho. in 3. part. Q. 7. art. 3. quòd in Christo, fides locum habere non potuit. ratio est, quia obiectũ fidei est res Diuina non visa, posito autem quòd res Diuina sit visa, excluditur ratio fidei, quæ est de non apparentibus, vt dicit Apost. ad Hæbr. 11. fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium. Vndè, cùm Christus ab instanti suæ conceptionis, plenè viderit Deum per essentiam, sequitur, ꝙ in eo fides esse non potuit.

Vtrum in Christo fuerit spes.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum. D. Th. in 3. part. Q. 7. art. 4. quòd in Christo simpliciter non fuit spes, sed solùm secundum quid. nam sicuti de ratione fidei est, quòd aliquis assentiat his, quæ non videt: ita de ratione spei est, quòd aliquis expectet id, quòd non dum habet: & sicuti fides, inquantum est virtus Theologica, non est de quocunque non viso, sed solùm de Deo

ita etiam ſpes, quatenus eſt virtus Theologica, habet pro obiecto ipſum Deum, cuius fruitionem homo principaliter expectat per ſpei virtutem; ſed ex conſequenti ille, qui habet virtutem ſpei, poteſt etiam in alijs Diuinum Auxilium expectare, ſicuti & ille, qui habet virtutem fidei, non ſolùm credit Deo de rebus Diuinis, ſed etiam de quibunſcunque alijs Diuinitùs ſibi reuelatis. Chriſtus autem à principio ſuæ conceptionis plenè habuit fruitionem Diuinam, & ideò ſimpliciter non habuit ſpem, quæ eſt virtus Theologica, ſed habuit ſpem ſecundum quid, ſcilicet reſpectu aliquorum, quæ non dum erat adeptus (fidem verò nullo modo habuit, quia omnia plenè cognoſcebat, & videbat) nempè ſpem immortalitatis, & gloriæ corporis, quæ ad eius perfectionem pertinebant.

Vtrum in Chriſto fuerit gratiæ plenitudo.

RESOLVTIO.

Dicendum eſt ſecundum. D. Th. in 3. par. Q. 7. ar. 9. quòd Chriſtus verè habuit plenitudinẽ gratiarum. quòd oſtenditur tali ratione. quanto aliquod receptiuum propinquius eſt cauſæ influenti, tanto abundantius recipit, ſed anima Chriſti, inter omnes creaturas rationales, propinquius cõiungitur Deo, ergo anima Chriſti maximam recipit influentiam gratiæ eius, & conſequenter in Chriſto fuit plenitudo gratiæ. præterea, propter quod

quod vnumquoque, & illud magis est, teste Phil. 1. post; sed propter Christum nos gratiam habemus, ergo maximam Christus gratiam habuit. Vndè, sicut ignis, qui est causa caloris in omnibus calidis, est maximè calidus, similiter oportuit, quòd anima Christi haberet plenitudinem gratiæ, vt ex ea quondam modo transfunderetur in alios.

Vtrum gratia Christi sit infinita.

RESOLVTIO.

DIcendum est secundum Th. in 3. par. Q. 7. ar. 11. quòd in Christo duplex potest considerari gratia. Vna quidem est gratia vnionis, quæ est ipsum vniri personaliter filio Dei, quòd gratis concessum est humanæ Naturæ: & hoc modo, sicuti ipsa persona Verbi est infinita, similiter hæc gratia est infinita. Alia verò est gratia habitualis, quæ quidem dupliciter considerari potest. Vno modo, quatenus ens est: & sic gratia habitualis Christi finita est, est enim in anima ipsius Christi sicuti in subiecto. Vndè, cùm anima Christi sit creatura quædam finitæ capacitatis, sequitur etiam, quòd hæc gratia habitualis, quatenus ens est, finita sit. Alio modo considerari potest gratia habitualis, quatenus gratia est, scilicet secundum propriam rationem gratiæ: & sic est infinita; quia non est limitata secundum ali-

quam certam mensuram, habet enim quicquid pertinere potest ad rationem gratiæ.

Vtrum Christus sit caput Ecclesiæ.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D. Tho. in 3. part. Q. 8. art. 1. quòd Christus metaphoricè caput Ecclesiæ dicitur. nam sicuti tota Ecclesia dicitur vnum corpus mysticum, per similitudinem ad corpus naturale hominis, quòd secundum diuersa membra habet diuersos actus: ita Christus dicitur Caput Ecclesiæ, secundum similitudinem humani capitis, in quo tria considerare possumus ordinem scilicet, perfectionem, & virtutem. Ordinem quidem, quia caput est prima pars hominis, incipiendo à superiori: & inde est, quòd omne principium consueuit vocari caput. Perfectionem verò, quia in capite vigent omnes sensus, in cæteris verò membris solùm sensus tactus. Virtutem autem, quia virtus, & motus ceterorum membrorum & gubernatio eorum est à capite, propter vim sensitiuam, & motiuam ibi dominantem hæc autem tria competunt Christo spiritualiter, primo enim considerando ordinem, secundum propinquitatem ad Deum, gratia ipsius Christi dicitur altior, & prior formaliter: quoniã omnes alij acceperunt gratiam, per respectum ad gratiam ipsius. Secundò verò perfectionem habet,

quantum

quantum ad plenitudinem omnium gratiarum, secundum illud Ioan. 1. Vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis. Tertio, virtutem habet influendi gratiam in omnia membra Ecclesiæ, secundum illud Ioan. 1. de plenitudine eius omnes accepimus. Vndè, manifestum est, quòd Christus est Caput Ecclesiæ, & in ipso sunt omnes gratiæ, sicuti in capite sunt omnes sensus: in membris verò Christi est gratia, sicut solus sensus tactus est in cæteris membris humani corporis.

Vtrum Diabolus sit caput omnium malorum.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum D. Th. in 3. part. Q. 8. art. 7. quòd aliquis potest dici caput alicuius multitudinis dupliciter. vel secundum interiorem influxum, & exteriorem gubernationem. & sic Christus est Caput Ecclesiæ, vt dictum est. vel secundum exteriorem gubernationem tantùm. & sic quilibet Princeps, vel Prælatus est caput multitudinis sibi subiectæ. & per hunc modum Diabolus dicitur caput omnium malorum, secundum illud Iob. 41. Ipse est Rex super omnes filios superbiæ. pertinet autem ad gubernatorem, vt eos, quos gubernat ad suum finem adducat, finis autem Diaboli est auersio rationalis creaturæ à Deo. Vndè, & a principio, homi-*

nem ab obedientia Diuini præcepti remouere tentauit. & ex hoc, Diabolus dicitur Caput omnium malorum.

Vtrum Chriſtus habuerit aliquam ſcientiam præter Diuinam.

RESOLVTIO.

D*Icendum eſt ſecundum D. Th. in 3. part. Q. 9. art. 1. quòd ſic, Nam filius Dei, vt dictum eſt, humanam naturam integram aſſumpſit, ideſt non ſolùm corpus, ſed etiam animam, non ſolùm ſenſitiuam, ſed etiam rationalem: & ideò oportuit, quòd haberet ſcientiam creatam, propter tria. primò quidem propter animæ perfectionem. Anima enim ſecundum ſe conſiderata eſt in potentia ad intelligibilia cognoſcenda, eſt enim ſicut tabula raſa, in qua nihil ſcriptum eſt, & tamen poſſibile eſt in ea ſcribi per intellectum poſſibilem, qui eſt in potentia omnia fieri, vt dicit Phil. in 3. de anima. Illud autem quod eſt in potentia eſt imperfectum, niſi reducatur ad actum. non autem filius Dei humanam naturam imperfectam aſſumpſit, ſed perfectam, quia, illa mediante, totum genus humanum ad perfectum erat reducendum. Secundò quia cùm qualibet res ſit propter ſuam operationem, fruſtra haberet Chriſtus animam intellectiuam, niſi ſecundum illam intelligeret, quod pertinet ad ſcientiã creatã.*

Ter-

Tertiò, quia aliqua scientia creata pertinet ad Naturam animæ humanæ: nihil autem Naturalium Christo defuit, quia totam humanam naturam integram suscepit, vt dictum est. Vndè, oportuit, quòd anima Christi aliquam scientiam, præter Diuinam, haberet, alioquin anima Christi esset imperfectior animabus aliorum hominum.

Vtrum anima Christi comprehenderit Diuinam Naturam.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D. Tho. in 3. part. Q. 10. art. 1. ꝙ cùm in Christo proprietas vtriusque Naturæ, scilicet Diuinæ, & humanæ inconfusa permanserit, ita .s. ꝙ increatum manserit increatum, & creatum manserit infra limites creaturæ, impossibile est, quòd anima Christi Diuinam comprehenderit essentiam: ratio est, quia nulla creatura Diuinam Naturam comprehendere potest, (vt dicit Th. in 1. par. Q. 12. art. 7.) eo quòd infinitum non comprehenditur a finito. & ideò concludendum est, quòd anima Christi nullo modo comprehendit Diuinam essentiam.

Vtrum anima Christi in verbo omnia cognouerit.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D. Th. in 3. par. Q. 10. art. 2. quòd anima Christi in verbo omnia

cognoscere, potest intelligi dupliciter. Vno modo, quòd cognoscat omnia .s. quocunque modo sunt, vel erunt, vel fuerunt, vel facta, vel dicta, vel cogitata à quocunque, secundum quodcunque tempus. & sic dicendum est, quòd anima Christi in verbo cognoscit omnia. Alio modo, potest intelligi, quòd anima Christi cognoscat omnia, non solùm scilicet, quæ sunt actu, secundum quodcunque tempus, sed etiam quæcunque sunt in potentia nunquàm reducenda, vel reducta ad actum. Horum autem Quædam sunt in sola potentia Diuina, & huiusmodi non omnia cognoscit in verbo anima Christi. hoc enim esset comprehendere omnia, quæ Deus facere potest, quòd esset comprehendere Diuinam virtutem, & per consequens Diuinam essentiam. Quædam verò sunt non solum in potentia Diuina, sed etiam in potentia Creaturæ, & huiusmodi omnia scit anima Christi in Verbo. comprehendit enim in Verbo essentiam cuiuslibet creaturæ, & per consequens etiam virtutem, & omnia, quæ in creaturæ potentia sunt.

Vtrum anima Christi videat verbum, siue Diuinam essentiam clarius qualibet alia creatura.

RESPONSIO.

D*Icendum est secundùm Th. in 3. part. Q. 10. art. 4. quòd sic, nam cùm anima Christi*

(quæ

(quæ vnita est Verbo in persona) propinquius Deo coniungatur, quàm quæuis alia creatura, necesse est, quòd etiam plenius recipiat influentiam luminis, in quo Deus videtur ab ipso Verbo, quàm quæcunque alia creatura. Vndè præ ceteris creaturis perfectius videt anima Christi ipsam veritatem, quæ est Dei essentia.

Vtrum scientia in Christo fuerit maior scientia Angelorum.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum D.Th.in 3. par. Q. 11. art. 4. quòd scientia indita animæ Christi potest considerari dupliciter. Vno modo secundum id, quod habuit ex causa influente. Alio modo secundum illud, quod habuit ex subiecto recipiente. Quantum igitur ad primum, scientia indita animæ Christi, fuit multo excellentior, quàm Angelorum scientia; nam lumen spiritualis gratiæ, quod animæ Christi inditum est, multo est excellentius, quàm lumen, quòd pertinet ad Naturam Angelicam. Quantum autem ad secundum, (scilicet quantum ad modum cognoscendi, qui est naturalis animæ humanæ, per conuersionem ad phantasmata (scientia indita animæ Christi, est infra scientiam Angelorum; nam scientia animæ Christi fuit aliquo modo collatiua, & discursiua, quod non potest dici de scientia Angelica. Vndè, respe-*

ctu diuersorum, scientia in Christo fuit maior, & minor, scientia Angelorum.

Vtrum Christus aliquid ab homine didiceret.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Th. in 3. par. Q. 12. art. 3. quòd Christus nihil ab homine didicit, nam Christus constitutus est caput Ecclesiæ à Deo Opt. Max. & omnium hominum, vt non solùm omnes per illum acciperent gratiam, sed etiam, vt omnes ab eo doctrinam veritatis reciperent. Vndè, ipse dicit Ioan. 18. in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt Testimonium perhibeam veritati. & ideò non fuit conueniens eius dignitati, vt à quocunq; homine scientiam acciperet.

Vtrum Christus aliquid acceperit ab Angelis.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Th in 3. par. Q. 12. ar. 4. quòd Christus nullo modo aliquam accepit scientiam ab Angelis, nam sicuti anima humana media est inter spirituales substantias, & res corporales, ita duobus modis nata est perfici. Vno quidem modo per scientiam acceptam ex sensibilibus. Alio modo per scientiam inditam ex illuminatione spiritualium substantiarum. Vtroque autem modo, anima Christi

fuit

fuit perfecta, ex sensibilibus quidem, secundum scientiam experimentalem, ad quam non requiritur lumen Angelicum, sed sufficit lumen intellectus Agentis. ex illuminatione verò superiori, secundum scientiam infusam, quam immediatè adeptus est à Deo: non autem mediantibus Angelis, qui etiam ex influētia Verbi (.s. à Deo rerum scientiam in sui principio acceperunt. patet igitur, quòd Christus nullam accepit scientiam ab Angelis.

Vtrum anima Christi simpliciter habuerit omnipotentiam.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum D. Tho. in 3. part. Q. 13. art. 1. quòd animæ Christi conuenire omnipotentiam impossibile est. nam in mysterio incarnationis, ita facta est vnio in persona, quòd tamen remansit distinctio Naturarum, vtraq; scilicet Natura retinente id, quod sibi proprium est; sed propriè omnipotentia Deo attribuitur, non animæ Christi, ergo impossibile est, quòd animæ Christi possit omnipotentia conuenire.*

Vtrum filius Dei in humana Natura assumere debuerit corporis defectus.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum Tho. in 3. part. Q. 14. art. 1. & Magist. sent. in 3. distin. 15. quòd conue-*

conueniens fuit, vt filius Dei, in corpore assumpto, humanis infirmitatibus, & defectibus subiaceret. nam ad hoc filius Dei, carne assumpta, venit in mundum, vt pro peccato humani generis satisfaceret. Vnus autem pro peccato alterius satisfacit, dum pœnam pro peccato alterius, debitam in se suscipit; huiusmodi autem defectus corporales, vt fames, sitis, mors, & huiusmodi, sunt peccati pœna, quod est in mundum per Adam introductum, secundnm illud Apost. ad Rom. 5. per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors. Vitia verò corporis, ægritudines quamplurimas, peccatum, ignorantiam, & huiusmodi, quæ sunt quidam animi, & corporis defectus, Christus non assumpsit, sed tantùm aßumpsit illos defectus, quos ad salutem generis humani congruebat assumere, & qui suæ dignitati non derogarent. Ideò vt filius Dei probaretur habere verum corpus, & veram animam, assumpsit humanam Naturam, & ipsius defectus, vt famem, sitim, tristitiam, timorem, & huiusmodi.

Vtrum Christus defectus corporales contraxerit.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D. Tho. in 3. part. Q. 14. art. 3. quòd nullo modo, Christus defectus corporales contraxit. nam illud dicitur

dicitur contrahi, quod ſimul cum ſua cauſa, ex neceſſitate trahitur: cauſa autem mortis, & horum defectuum humanorum eſt peccatum; quia per peccatum mors intrauit in hunc mundum, vt dicitur Rom. 5. & ideò illi propriè dicuntur hos defectus contrahere, qui ex debito peccati hos defectus incurrunt. Christus autem nullo modo peccatum contraxit, neque ex debito huius neceſſario, ſed benè huiuſmodi defectus voluntariè aſſumpſit, non autem ex neceſſitate contraxit. potuiſſet enim filius Dei ſine dubio, Naturam humanam aſſumere, abſq; pœna, ſed liberè voluit pœnam ſuſcipere, propter opus noſtræ redemptionis implendũ: & ideò habuit huiuſmodi defectus, non contrahendo, ſed voluntariè aſſumendo. præterea, ſecundum Magiſt. ſent. in 3. diſt. 16. quatuor dicuntur ſtatus hominum, quorum primus fuit ſtatus innocentiæ, ante peccatum. Secundus poſt peccatum, & ante gratiam. Tertius poſt peccatum, & ſub gratia. Quartus erit in gloria, expers omnis miſeriæ. Vndè, Christus dicitur aliquid, de quolibet ſtatu hominis, aſſumpſiſſe. de primo enim ſtatu Christus accepit immunitatem peccati; de ſecundo pœnalitates, & alios defectus. de Tertio verò plenitudinem gratiæ. de Quarto non poſſe peccare, & Deum perfectè contemplari.

Vtrum in Christo fuerit peccatum?

RESOLVTIO.

DIcendum est secundum D.Th.in 3.par.Q.15. art.1. quòd in Christo peccatum nullo modo locum habere potuit. & ratio est ista. quia licèt Christus nostros susceperit defectus, vt pro nobis satisfaceret, & vt veritatem humanæ Naturæ comprobaret, & vt nobis fieret exemplum virtutis; non tamen peccatum aliquo modo aßumere debuit. peccatum enim nihil operatur ad satisfactionem, imò virtutem satisfactionis impedit. præterea, id, quod est naturale, Christus assumpsit, non autem peccatum, quod est contra naturam, perseminationem Diaboli introductum. Vndè, Christus nullo modo assumpsit defectum peccati, nec originalis, nec actualis, secundum illud 1.Pet.2. qui peccatum non fecit.

Vtrum in Christo fuerit ignorantia.

RESOLVTIO.

DIcendum est secundum D Th.in 3.par.Q.15. art.3.quòd in Christo ignorantia esse non potuit: nam sicut in Christo fuit plenitudo gratiæ, & virtutis: ita in ipso fuit plenitudo omnis scientiæ, vt superius dictum est. Sicuti autem in Christo plenitudo gratiæ, & virtutis excludit fomitem peccati: ita plenitudo scientiæ excludit ignorantiam,

tiam, quæ scientiæ opponitur. Vndè, sicut in Christo non fuit fomes peccati, ita non fuit in eo ignorantia.

Vtrum anima Christi fuerit passibilis.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Th. in 3. par. Q. 15. art. 4. quòd cùm anima sit forma corporis, consequens est, quòd vnum sit esse animæ, & corporis: & ideo corpore perturbato per aliquam corpoream passionem, necesse est, quòd anima per accidens perturbetur, scilicet quantum ad esse, quod habet in corpore. quia igitur Corpus Christi fuit passibile, & mortale, necesse est, quòd etiam eius anima, hoc modo, passibilis esset.

Vtrum ex necessitate Christus passus fuerit.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D. Thom. in 3. part. Q. 15. art. 4. in resp. ad prim. quòd Christus voluntariè passus est. ratio est, quia anima eius poterat, sine dubio resistere passionibus, vt ei non superuenirent, præsertim virtute Diuina, sed propria voluntate passionibus subiacebat, tam corporalibus quàm animalibus. Vndè, non ex necessitate, sed ex liberalitate suæ voluntatis, Christus passus est pro nobis mortem; mortem autem crucis.

Vtrum

Vtrum in Chriſto fuerit dolor ſenſibilis.

RESOLVTIO.

Dicendum eſt ſecundum Tho. in 3. part. Q. 15. art. 5. quòd ad veritatem doloris ſenſibilis, requiritur læſo corporis, & ſenſus læſionis. corpus autem Chriſti poterat lædi, quia, (vt dictum eſt) erat paſſibile, & mortale. nec defuit ei ſenſus læſionis, cùm anima Chriſti perfectè haberet omnes potentias naturales. Vndè, nulli dubium eſſe debet, quin in Chriſto fuerit verus dolor.

Vtrum in Chriſto fuerit timor.

RESOLVTIO.

Dicendum eſt ſecundum Tho. in 3. part. Q. 15. art. 7. quòd timor poteſt conſiderari dupliciter. Vno modo, quantum ad hoc, quòd appetitus ſenſitiuus naturaliter refugit corporis læſionem, & per triſtitiam, ſi ſit præſens, & per timorem, ſi ſit futura. & hoc modo timor fuit in Chriſto, ſicut & triſtitia. Alio modo poteſt conſiderari timor, ſecundum incertitudinem futuri euentus, ſicuti quando nocte timemus ex aliquo ſonitu, quaſi ignorantes, quid hoc ſit. & quantum ad hoc, timor non fuit in Chriſto, nam benè ſciebat paſſionem præſentem, & venturam.

Vtrum in Christo fuerit ira.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Th. in 3. part. Q. 15. art. 9. quòd ira est passio composita ex tristitia, & appetitu vindictæ. in Christo tristitia esse potuit, vt dictum est. Appetitus autem vindictæ, Quandoq; est cum peccato, quando scilicet aliquis vindictam quærit, absque ordine rationis. & sic ira in Christo esse non potuit, huiusmodi enim ira, dicitur talis per vitium. Quandoq; verò talis appetitus est sine peccato, imò est laudabilis, puta cùm aliquis appetit vindictam, secundum ordinem iustitiæ, & vocatur ira per Zelum: & sic talis ira fuit in Christo.

Vtrum Christus sit creatura.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Th. in 3. part. Q. 16. art. 8. quòd Christus potest considerari dupliciter, vel secundum humanam naturam: & sic Christus est creatura. vel secundum Diuinam naturam: & sic Christus non creatura, sed Deus, & Creator omnium est. Vndè, in hoc errauerunt Ariani hæretici, qui Christum dixerunt esse creaturam, & minorem patre, non solùm ratione humanæ Naturæ, sed etiam ratione Diuinæ personæ. quòd omninò alienum est à fide. Nos autem dicamus,

camus, quòd ſicuti æthiops dicitur ſecundum quid albus, ſcilicet ſecundum dentes; abſolutè verò niger, ſecundum totum ſubiectum: ſimiliter reſpectu diuerſorum, Chriſtus dicitur eſſe, & non eſſe creatura. Chriſtus enim ſecundum quid, ſcilicet quatenus homo, eſt creatura. abſolutè verò, ſcilicet quatenus Deus, eſt creator, & principium omnium creaturarum. Præterea, ſecundum humanam Naturam. eſt minor patre. Secundum Diuinam verò æqualis eſt patri, qui non ſolùm cum filio, ſed etiam cum Spiritu Sancto vna eſt eſſentia, & natura Diuina.

Vtrum in Chriſto ſint duæ voluntates.

RESOLVTIO.

Dicendum eſt ſecundum Tho. in 3. part. Q. 18. art. 1. quòd ſic, nam cùm Chriſtus ſit Deus, & homo, neceſſe eſt, quòd quatenus Deus habeat voluntatem Diuinam: quatenus verò homo habeat voluntatem humanam: alioquin filius Dei non aſſumpſiſſet humanam naturam integram; ſed quia Chriſtus integraliter factus eſt homo, ſimiliter ex conſequenti dicere debemus, quòd filius Dei aßumpſerit voluntatem humanam, in humana Natura exiſtentem, per quam quidem humanæ Naturæ aſſumptionem, nullam diminutionem paßus eſt filius Dei ſcilicet Chriſtus, in his, quæ pertinent ad Diuinam Naturam, cui competit voluntatem habere,

bere, vt in superioribus dictum fuit. Vndè, necesse est dicere, quòd in Christo duæ sint voluntates, vna æterna, alia temporalis, scilicet Diuina, & humana.

Vtrum humana Christi voluntas omninò fuerit conformis Diuinæ voluntati in volito.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D.Th.in 3.part.Q.18. art.5. quòd in Christo secundum humanam Naturam, multiplex ponitur voluntas, scilicet voluntas sensualitatis, quæ participatiuè voluntas dicitur: & voluntas rationis, quæ dupliciter consideratur, vel per modũ Naturæ, vel per modum rationis. Ideò Christus secundum voluntatem sensualitatis, & secundum voluntatem rationis, per modum Naturæ consideratæ, pati nolebat, & consequenter passionem refugiebat: & sic aliud poterat velle, quàm Deus. Secundum voluntatem verò, quæ est per modum rationis, semper idem volebat, quod Deus. quòd patet ex hoc ipso, quod dicit. non sicuti ego volo, sed sicut tu. Vndè manifestum est, quòd Christus secundum voluntatem humanam per modum rationis acceptam, semper idem voluit, quod Deus, & per consequens eius voluntas fuit conformis voluntati Diuinæ in volito.

Vtrum Christus meruerit solùm nobis, & non sibi.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Magist. sent. in 3. dist. 18. & Th. in 3. part. Q. 48. art. 1. & D. Bonau. in 3. sent. dist. 18. art. 1. Q. 2. & 3. quòd Christus & sibi, & nobis meruit. sibi quidem corporis immortalitatem, claritatem, & impassibilitatem animæ, & corporis: nam corpus eius, ante ipsius mortem, erat mortale, & anima eius passibilis. nobis verò apertionem Paradisi Cælestis, & redemptionem à Diabolo, à peccato, & à pœna pro ipso debita. Vndè, sciendum est, quòd Paradisus est duplex Cælestis, & terrestris, & Adam peccante vtriusq; ianua clausa fuit. Clausio autem ianuæ Paradisi Terestris, signum fuit clausionis ianuæ Paradisi Cælestis. est autem Paradisus Cælestis aperta visio Dei: clausio verò huius ianuæ, fuit impossibilitas videndi Deum facie ad faciem, quæ quidem impossibilitas, consurgebat ex peccato Adæ, & ex decreto Diuinæ Sententiæ. Vndè per Christum aperta est ianua Regni Cælestis, & per consequens nobis, & sibi meruit, vt dictum est.

Vtrum Christo competat orare.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D. Th. in 3. part. Q. 21. art. 1. quòd Christus potest considerari dupliciter.

citer. vel quatenus homo, & sic Christo orare competit. vel quatenus Deus, & sic Christo nullo modo orare competit. pro cuius euidentia, sciendum est, quòd oratio est quædam explicatio propriæ voluntatis apud Deum, vt eam impleat. si igitur in Christo esset vna tantùm voluntas, scilicet Diuina, nullo modo competeret sibi orare; ratio est, quia voluntas Diuina per seipsam est effectiua eorùm, quæ vult, secundum illud psal. 134. omnia quæcunq; voluit Dominus fecit. Sed quia in Christo est alia voluntas humana, quæ non est per seipsam efficax, ad implendum, quæ vult, nisi per virtutem Diuinam, inde est, quòd Christo, quatenus est homo, vt humanam habens voluntatem, competit orare.

Vtrum Deo conueniat filios adoptare.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Th. in 3. par. Q. 23. art. 1. quòd sic. nam ille dicitur adoptare aliquem sibi in filium, qui ex sua bonitate admittit eum ad participationem suæ hæreditatis. Deus autem cùm sit infinitæ bonitatis, ad participationem suorum bonorum suas admittit creaturas, & præcipuè rationales, quæ in quantum sunt ad imaginem Dei factæ, sunt capaces Beatitudinis Diuinæ, quæ in fruitione visionis Diuinæ consistit. Vndè, Deus, in quantum ex sua

bonitate admittit homines ad Beatitudinis hæreditatem, dicitur eos adoptare.

Vtrum adoptare conueniat toti Trinitati.

RESOLVTIO.

D*Icendum eſt ſecundum D.Tho. in 3. part. Q.23.art.2. quòd ſic. nam opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa, (vt dicit Mag. ſent. in 1.diſt.15.) ergo facere quemcunq; effectum in creaturis, eſt commune toti Trinitati, propter vnitatem Naturæ Diuinæ; quia vbi eſt vna Natura, oportet, quòd ſit vna operatio: & conſequenter dicimus, quòd adoptare homines in filios Dei, conuenit toti Trinitati. præterea, ſciendum eſt, quòd inter filium Dei adoptiuum, & Naturalem, hæc eſt differentia, quòd filius Dei Naturalis eſt genitus, non factus: filius autem adoptiuus eſt factus, ſecundum illud Ioan. 1. dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. & ſi quandoque filius adoptiuus dicatur genitus, hoc eſt propter ſpiritualem regenerationem, quæ eſt, gratuita, non naturalis. patet igitur, quòd adoptare homines in filios Dei, toti conuenit Trinitati.*

Vtrum Chriſtus poſsit dici prædeſtinatus.

RESOLVTIO.

D*Icendum eſt ſecundum D.Th. in 3.par.Q.24. art.1. quòd ſic. nam prædeſtinatio propriè*

accepta,

accepta, est quædam Diuina præordinatio ab æterno, de his, quæ per gratiam Dei, in tempore fienda sunt. est autem hoc in tempore factum, per gratiam vnionis à Deo, vt homo esset Deus, & Deus esset homo, igitur Christus dicitur prædestinatus. nec potest dici, quòd Deus ab æterno non præordinauerit hoc se facturum in tempore; quia sequeretur, quòd Diuinæ menti aliquid de nouo accideret. & ideò oportet dicere, quòd ipsa vnio naturarum in persona Christi, cadat sub æterna Dei prædestinatione, & ratione huius, Christus dicitur esse prædestinatus.

Vtrum Beata Virgo fuerit concepta in peccato originali.

RESOLVTIO.

M*Agna certè est controuersia inter Doctores, de Conceptione Virginis Mariæ differentes, vtrum fuerit concepta in peccato originali, vel non. Quidam, vt Thomistæ firmiter dicunt, quòd Beata Virgo fuit concepta in peccato originali. Nonnulli verò alij, vt Scotistæ tenent oppositum, quòd scilicet Beata Virgo non fuit concepta in peccato originali. qui quidē Scotistæ, & Thomistæ qnamplurimas in medium adducunt rationes, quas ego breuitatis causa omitto, sed tantùm vnam vnius, & alteram alterius Sectæ rationem in medium proponam. qui verò*

omnia argumenta videre voluerit, is proculdubio tenetur videre D. Th. in 3. part. Q. 27. art. 1. 2. & 3. & 4. sed præcipuè in 2. art. & omues, huius partis, & Sectæ, Doctores. similiter ex alia parte tenetur videre Scotum, Doctorem subtilissimum in 3. sent. dist. 3. Q. 1. & alios huius sectæ Doctores. pro cuius itaq; Quæstionis euidentia, sciendum est, quòd Conceptio capitur Tripliciter. Vno modo pro Conceptione seminum. Secundo pro formatione membrorum. Tertio pro vnione animæ ad corpus. Conceptio seminum, est quando duo semina. s. viri, & mulieris simul vniuntur; & vocatur mistio seminalis. conceptio verò secundo modo sumpta, est, quando semen est in matrice, in qua formatur corpus, quia secundum Beat. Aug. primò est sub forma lactis per sex dies; & per 10. sub forma sanguinis: & per 12. fit solidatio membrorum: & per 18. fit complementũ corporis humani: & sic sunt. 46. dies. Sciendum tamen est, quòd requiruntur. 46. dies ad corpus organizandum Viri, & mulieris 83. Christi autem Natura assumpta non stetit per plures dies, sed in instanti fuit à Verbo Diuino assumpta, & in instanti, corpus eius organizatum fuit. Tertiò modo, conceptio est infusio animæ in corpus. & sic in illo instanti, in quo corpus est organizatum, Deus creat animam, & infundit corpori. Vndè in ista Quæstione, quæritur de conceptione Tertio modo capta.

pta. Dicunt igitur Thomistæ, quòd si Beata Virgo non fuisset cõcepta in peccato originali, sequeretur, quòd Christus non fuisset vniuersalis redemptor; sed Christus fuit vniuersalis redemptor, ergo Beata Virgo fuit concepta in peccato originale. Inquiunt Scotistæ, peccatum originale est maius peccato veniali, sed per vestrũ D.Th. in 3. part. Q.27. art.4. Virgo non peccauit venialiter, ergo nec originaliter: ergo non habuit peccatum originale: nam peccato originali debetur pœna æterna, veniali verò temporalis. Ad rationem Thomist. respondent Scotistæ, quòd duplex est modus redimendi. Vnus est præseruatiuus, qui est præseruare aliquem, ne cadat in peccato: & sic Christus redemit Virginem Mariam, quia præseruauit eam. Alius est subleuatiuus, quando scilicet aliquis subleuat aliquem, qui in lutum cecidit, vel in foueam; & istum modum habuit Christus circa Magdalenam, Petrum, & circa omnes sanctos, qui peccauerunt, & pœnitentiam egerunt, & circa nos modò. & iste modus subleuatiuus est quadruplex, Primus est quando quis incidit in peccatum originale, & postea subleuatur per baptismum; & sic subleuantur pueri. Secundus est quando quis incidit in idem, & postea subleuatur in ventre, per sanctitatem, sicut Hierem. & Ioan. Bapt. Tertius est à peccato mortali actuali, & iste est in adultis per pœnitentiam. Quartus

est à peccato veniali, à quo subleuamur omnes diuersimodè. Vndè, Scotistæ dicunt, quòd Beata Virgo non fuit redempta hoc modo subleuatiuo, sed præseruatiuo, vt dictum est. Respondent Thomistæ ad rationem Scotistarum, hunc in modum: vos dicitis, quòd per Nostrum D.Th. loco citato, Beata virgo non peccauit venialiter, ergo nec originaliter: negamus consequentiam, quoniam Spiritus Sanctus præueniens Virginem, ipsam ab omni peccato purgauit, & ipsum peccati fomitem, ita vt nihil postmodum esset, quod eam inclinaret ad malum: & hac de causa, Beata Virgo non peccauit nec mortaliter, nec venialiter. Quid autem ego dicam, ignoro. Sed prorsùs Sanctæ Matri Ecclesiæ, meliorió; sapientum iudicio me subijcio. vos autem, modò vt dicatis, quòd Beata Virgo fuerit ab omni peccato exclusa, hoc sufficit: siue per subleuationem, siue hoc fuerit per præseruationem. Vndè, benè, & rationabiliter dicunt Thomistæ, cùm dicant Beatam Virginem prorsùs ab omni fomite peccati, operatione Spiritus Sancti, fuisse purgatam. Optimè dicunt Scotistæ, cùm dicant Beatam Virginem à peccato originali fuisse specialiter præseruatam. Vos autem eligatis ad libitum hanc, vel illam opinionem. sed id, quod melius est, non dimittatis.

Vtrum Beata Virgo præ cæteris hominibus, maiorem gratiæ plenitudinem à Christo obtinuerit.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Th. in 3. par. Q. 27. art. 5. quòd sic. Nam Quanto magis aliquid appropinquat suo principio, in quolibet genere, tanto plus effectũ illius principij participat, vt Angeli, qui sunt Deo propinquiores, magis participant de Bonitatibus Diuinis, quàm homines in hac valle miseriæ existentes: Beata autem Virgo propinquissima Christo fuit, secundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam Naturam. ergo Beata Virgo præ cæteris hominibus, maiorem debuit à Christo gratiæ plenitudinem obtinere.

Vtrum Christus sit principium gratiæ.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Tho. in 3. part. Q. & art. suprà citatis, quòd secundum vtranque Naturam, Christus dicitur esse principium gratiæ, secundum diuinitatem quidem essentialiter, & autoritatiuè: secundum humanitatem verò instrumentaliter. Vndè, & Ioan. 1. dicitur, Gratia, & veritas per Iesum Christum facta est.

Vtrum B. Maria fuerit virgo in concipiendo.

RESOLVTIO.

Dicendum est secũdum D.Th.in 3.par.Q.28. art. 1. quòd Beata mater Christi verè fuit Virgo in concipiendo, dicitur enim Isa. 7. Ecce, Virgo concipiet. & hoc confirmatur tali ratione; quia sicuti Virtute Diuina fieri potuit, vt primus homo de limo terræ formaretur sine viro, & fœmina: ita etiam fieri potuit, vt Diuina virtute Corpus Christi de Virgne. i. de fœmina, absque viri semine. i. sine viro, formaretur. Quòd autem fuerit conueniens, Christum ex Virgine fuisse conceptum, quatruplici ratione ostenditur. primò quidem propter mittentis Dignitatem patris conseruandam. cùm enim Christus sit verus, & Naturalis Dei filius, non fuit conueniens, q̃ alium patrem haberet, quàm Deum, ne dignitas Dei patris ad alium transferatur. Secundò, hoc fuit conueniens proprietati ipsius filij, qui est verbum Dei. Verbum autem absque omni corruptione cordis concipitur. quia ergo caro sic fuit à verbo Dei assumpta, vt esset caro verbi Dei, congruũ fuit, quòd etiam ipsa sine corruptione matris conciperetur. Tertiò, hoc fuit conueniens Dignitati humanitatis ipsius Christi, in qua locum peccatum habere non debuit; quia per illam Mundi peccatum tollebatur, secundum illud Io. 1. Ecce Agnus

Dei,

Dei, scilicet innocens, qui tollit peccatum mundi. Quartò, & Vltimò fuit conueniens, propter ipsum finem incarnationis Christi, quæ ad hoc fuit, vt homines renascerentur in filios Dei, non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo, i. virtute Dei, cuius rei exemplar debuit apparere in ipsa conceptione Christi. Vndè, manifestum est, quòd Beata Mater Christi Virgo in concipiendo fuit.

Vtrum Mater Dei fuerit Virgo in partu, & per manserit post partum.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum. D. Th. in 3. par. Q. 28. art. 2. & 3. quòd realiter Mater Christi in partu fuit Virgo. ait enim Isai. non solùm Eccè Virgo concipiet, sed etiam addit, & pariet filium. s. in ipsa virginitate. Vndè simpliciter asserendum est, quòd Mater Dei, sicuti Virgo concepit, & Virgo peperit, itam etiam, & Virgo post partum in æternum permansit.*

Vtrum inter Mariam, & Ioseph fuerit verum Matrimonium.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum D. Th. in 3. part. Q. 29. art. 2. & Magist. sent. in 4. dist. 30. quòd Matrimonium dicitur verum ex*

hoc,

hoc, quia habet suam perfectionem. Duplex autē est perfectio rei. prima scilicet, & secunda. prima quidem rei perfectio, consistit in actu primo, scilicet in ipsa forma, ex qua res suum esse recipit. Secunda verò perfectio, consistit in actu secundo, scilicet in operatione rei, per quam res aliqualiter suum finem attingit. forma igitur Matrimonij consistit in quadam indiuisibili coniunctione animorum, per quam vnus coniugum, indiuisibiliter alteri fidem seruare tenetur. Secunda verò perfectio Matrimonij in duobus consistit, in generatione scilicet, & Educatione. Sic igitur dicendum est, quòd quantum ad primam perfectionem, omninò verum fuit Matrimoniū Virginis Dei, & Ioseph; quia vterque consensit in maritalem societatem, non autem expreßè in copulam carnalem, nisi sub conditione, si Deo placeret. Quantum verò ad secundam perfectionem possumus cōsiderare Duo, Educationem scilicet, & generationem, si prolis educationem consideremus: sic inter Mariam, & Ioseph verum fuit coniugium: si verò generationem, non fuit ibi verum matrimonium consumatum. patet igitur, quòd inter Mariam Matrem Dei, & Ioseph, verum fuit Matrimonium, quantum ad coniugalem societatem: similiter etiam quantum ad prolis educationem, vt dictum est.

Vtrum

Vtrum caro Christi fuerit sumpta de Adam.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D.Tho. in 3. part. Q.31.art.1. quòd caro Christi fuit sumpta de Adam materialiter, non autem formaliter, quia non fuit conceptus in peccato originali ipse Christus, sicuti cæteri homines. Vndè Christus humanam Naturam aßumpsit, vt eam à corruptione purgaret; non autem purgatione indigebat Natura humana, nisi secundum quod infecta erat per originem vitiatam, quæ ex Adam descendebat: & ideò conueniens fuit, vt carnem sumeret ex materia ab Adam deriuata, vt ipsa Natura per assumptionem curaretur. Vndè, dicamus, quòd corpus Christi fuit in Adam secundum corpulentam substantiam, quia scilicet ipsa materia corporis Christi deriuata est ab Adam. Non autem fuit ibi secundum seminalem rationem, quia non est concepta ex virili semine: & ideò non contraxit originale peccatum, sicut cæteri, qui ab Adam per viam virilis seminis Deriuantur, vt dictum est. patet igitur, quòd caro Christi ex Adam materialiter sumpta fuit, non autem formaliter.

Vtrum

Vtrum fuerit conueniens Christum nasci de fœmina.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Th. in 3. par. Q. 31. art. 4. quòd licèt filius Dei carnem humanam assumere potuerit, de quacunque materia voluisset, conuenientissimum tamen fuit, vt de fœmina carnem acciperet propter tria. Primò quidem, quia per hoc tota humana Natura nobilitata est. Secundo, quia per hoc veritas incarnationis astruitur. Tertio, quia per hunc modum completur omnis diuersitas generationis humanæ; nam primus homo productus est ex limo terræ, sine viro, & fœmina. Eua verò producta est ex viro, sine fœmina. Alij autem homines nati sunt, & nascuntur ex viro, & fœmina. Vndè hoc Quartum, quasi Christo proprium, relinquebatur, vt produceretur ex fœmina sine viro. Conueniens itaq; fuit Christum nasci de fœmina.

Vtrum Christus debeat dici conceptus de Spiritu Sancto.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D. Th. in 3. par. Q. 32. art. 2. quòd in Spiritu Sancto duplex Habitudo consideratur respectu Christi. Vna, quæ refertur ad ipsum filium Dei, qui dicitur esse conceptus:

& hæc

& hæc vocatur habitudo consubstantialitatis. Alia est, quæ refertur ad corpus ipsius Christi: & vocatur habitudo causæ efficientis. Vnde, conuenienter dicere possumus, Christum esse conceptum de Spiritu Sancto, hoc modo, quod efficientia Spiritus Sancti referatur ad corpus assumptum; consubstantialitas verò ad personam assumētem. præterea, (vt dicit D. Th. loco citato art. 1.) sciendum est, quòd conceptionem corporis Christi tota Trinitas operata est; attribuitur tamen specialiter hoc Spiritui Sancto, duplici ratiõne. primo quidem, quia Spiritus Sanctus est amor patris, & filij. Hoc autem ex maximo Dei amore prouenit, vt filius Dei carnem sibi assumeret in vtero virginali. Vndè dicitur Ioan. 3. sic Deus dilexit mundum, vt suũ filium vnigenitum daret. Secundo, quia per hoc datur intelligi, quòd humana Natura assumpta est à filio Dei in vnitalem personæ, non ex aliquibus meritis, sed ex sola gratia, & ineffabili Charitate, quæ Spiritui Sancto attribuitur.

Vtrum Spiritus Sanctus posit dici pater Christi secundum carnem.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum Mag. sent. in 3. dist. 4. & D. Bonau. ibidem art. 1. Q. 2. & Th. in 3. part. Q. 32. art. 3. quòd nullo modo Spiritus Sanctus dici potest pater Christi: quia sequeretur maximum*

ximum inconueniens, si Christus diceretur natus de Virgine vt de Matre, & de Spiritu Sancto vt de Patre; nam secundum Naturam Diuinam esset filius patris æterni, & secundum humanam esset filius Spiritus Sancti, quòd omninò à fide alienum est, cùm Spiritus Sanctus non fuerit Vir Beatæ Virginis. Vndè, Christus conceptus est de Maria Virgine, in similitudinem speciei: & ideò Christus dicitur filius Beatæ Virginis. Christus autem, secundum quod est homo, conceptus est de Spiritu Sancto, sicut de actiuo principio, non tamen secundum similitudinem speciei, sicut homo nascitur de patre suo. Vndè Christus nullo modo dicitur filius Spiritus Sancti, & per consequens Spiritus Sanctus non potest dici pater Christi, nec secundum humanitatem, nec secundum Diuinitatem; quia Christus vnicum habet patrem æternũ, vt in superioribus dictum est.

Vtrum conceptio Christi fuerit Naturalis, vel miraculosa.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum D.Tho. in 3. part. Q.33. art. 4. quòd conceptio Christi potest dupliciter considerari. Vno modo ex parte materiæ, quã mater ministrauit; & sic conceptio Christi fuit Naturalis. Secundo modo potest considerari conceptio Christi, ex parte virtutis actiuæ;*

& sic

& sic conceptio Christi omninò Miraculosa fuit: sed quia vnumquodque magis iudicatur secundũ formam, quàm secundum materiam, & similiter secundum agens, quàm secundum patiens; inde est, quòd conceptio Christi debet dici simpliciter Miraculosa, & supernaturalis: secundum quid verò, naturalis, s. ex parte materiæ, vt dictum est.

Vtrum Christo sit attribuenda aliqua Natiuitas temporalis.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum D.Th in 3. par. Q. 35. art. 2. quòd Christus, quatenus homo verè potest dici temporaliter natus. nam in Christo sunt Duæ Naturæ, Diuina scilicet, & Humana, quarum vnam accepit ab æterno patre; alteram verò accepit temporaliter à matre. & ideò necesse est attribuere Christo duas Natiuitates, vnam, qua æternaliter natus est à patre, aliam, qua temporaliter natus est à matre.*

Vtrum secundum temporalem Christi Natiuitatem, Beata Virgo possit dici mater eius.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum D. Tho. in 3. part. Q. 35. art. 3. quòd Beata Virgo realiter Christi, quatenus homo est, vera dicitur esse mater.*

Nam Corpus Christi non est de Cœlo allatum, sicuti Valentinus hæreticus posuit, sed de Virgine matre sumptum, & ex purissimis sanguinibus eius formatum. & hoc solùm requiritur ad rationem matris. Vndè, Beata Virgo est vera, & naturalis mater Christi.

Vtrum Beata Virgo debeat dici mater Dei.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Tho. in 3. part. Q. 35. art. 4. quòd, si nomine Dei intelligamus totam Trinitatem, vel essentiam Diuinam, Beata Virgo non potest dici Mater Dei: quia sequeretur, quòd Pater, & Filius, & Spiritussanctus essent vnus filius Beatæ Virginis, quòd à fide omninò alienum est. Si verò nomine Dei, solam personam filij incarnatam intelligamus, sic verè Beata Virgo debet dici mater Dei, quia solus filius incarnatus est. Vndè Beata Virgo dicitur mater Dei, non quia sit mater Diuinitatis, sed quia personæ habentis Diuinitatem, & humanitatem, est mater secundum humanitatem.

Vtrum fuerit necessarium Christum pati pro liberatione humani generis.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D. Th. in 3. par. Q. 46. art. 1. quòd necessarium est duplex. Vnum, quòd secundũ sui Naturam impossibile est aliter se ha-

se habere: & hoc vocatur necessarium simpliciter. Aliud est necessariũ ex suppositione finis, qd' s. conuenienter esse nõ potest, nisi tali fine præsupposito. & hoc vocatur necessarium secundũ quid, s. ad bene esse. Christum igitur pati non fuit necessarium, necessitate primo modo sumpta, neq; ex parte Dei, qui Christum definiuit pati, neque ex parte ipsius Christi, qui voluntariè passus est. fuit autem necessarium Christum pati, necessitate Secundo modo sumpta, s. ex suppositione finis, qui quidem potest tripliciter intelligi. Primo quidem ex parte Nostra, quia per eius passionem liberati sumus. Secundo ex parte ipsius Christi, qui per humilitatem passionis meruit gloriam exaltationis, vt dicitur Luc Vlt. Non ne oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam? Tertio ex parte Dei cuius difinitionem oportebat impleri, circa passionem Christi prænunciatam in scripturis, & præfiguratam in obseruantia Veteris Testamenti. Vnde, hoc modo, necessarium fuit Christum pati pro liberatione generis humani.

Vtrum posſibile fuerit, Deum alio modo liberare genus humanum, quàm per Christi mortem.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D. Th. in 3. par. Q. 46. art. 2. quòd aliquid potest dici possibile, vel impos-

impossibile dupliciter. Vno modo simpliciter, & absolutè. Alio modo ex suppositione. simpliciter igitur, & absolutè loquendo, possibile fuit, Deum alio modo hominem liberare, quàm per passionem Christi, quia non est impossibile apud Deum omne verbum, vt dicitur Luc. 1. sed ex aliqua suppositione facta, fuit impossibile, nam impossibile est Dei præscientiam falli. Supposita enim præscientia, & præordinatione Dei, de passione Christi, non erat simul possibile Christum non pati, vel hominem alio modo, quàm per eius passionem liberari. patet igitur, quòd simpliciter loquendo, fuit possibilis alius modus liberationis humanæ, quàm per passionem Christi: sed aliqua suppositione facta, impossibile fuit, hominem alio modo, quàm per passionem Christi, liberari.

Vtrum Deus pater tradiderit Christum passioni.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Magist. sent. in 3. dist. 20. & D.Th. in 3. part. Q. 47. art. 3. quòd sic, nam vt dicitur Rom. 8. proprio filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Vndè secundum tria, Deus pater tradidit Christum passioni. Vno quidem modo, secundum quod sua æterna voluntate præordinauit passionem Christi ad humani generis liberationem.

nem. Secundo, inquantum inspirauit ei voluntatem patiendi pro nobis, infundendo ei charitatem. Tertio, non protegendo eum à passione, sed exponendo eum persequentibus. Vndè legitur Mat. 27. ꝙ pendens in Cruce Christus dicebat, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me, quia. s. potestati eum persequentium exposuit. præterea, sciendum est, quòd Christus Quadrupliciter traditus fuit. (vt dicit Magist. loco citato) primo à Patre. Secundo à seipso. Tertio à Iuda. Quarto à Iudæis. à Patre enim, quia voluntate eius Christus passus est. à seipso, quia voluntariè pati voluit. à Iuda, quia ipsum prodidit. à Iudæis, quia procurauerunt eius mortem. Vndè, omnes in vnũ conuenerunt, scilicet in mortem Christi; sed voluntates fuerunt diuersæ, quia voluntas patris, & Christi fuit bona, & ex bona intentione. voluntas verò Iudæ, & Iudæorum fuit mala, & ex mala intentione.

Vtrum Iudęi Bonum fuerint operati, occidendo Christum.

RESOLVTIO.

Dicendum est secund. Mag. in 3. sen. dist. 20. ꝙ opus Iudæ, & Iudæorum potest ad duo referri, vel ad opus operatum, s. ad ipsam passionem, quæ omninò bona, & perfecta fuit: & sic operati sunt bonum ipse Iudas, & ipsi Iudæi.

vel ad opus operans, ſ. ad intentionem eorum malam: & ſic operati ſunt malum.

Vtrum filius Dei mortuus ſit.

RESOLVTIO.

DIcendum eſt ſecundum Magiſt. ſent. in 3. diſt. 21. & D. Bonauent. ibidem art. 2. Q. 3. & D. Th. in 3. par. Q. 50. ar. 1. in reſp. ad prim. quòd filius Dei, ſcilicet Chriſtus poteſt conſiderari dupliciter, vel ſecundum Naturam Diuinam, vel ſecundum Naturam humanã. ſi ſecundum Naturam Diuinam: nullo modo filius Dei mortuus eſt. Si verò ſecundum humanam Naturam conſideretur: ſic verè, & realiter pro nobis filius Dei mortuus eſt; nam in morte Chriſti verè, & realiter ſeparata fuit anima à corpore, quæ ſeparatio requiritur ad rationem mortis. patet igitur, quòd Chriſtus filius Dei, non quatenus Deus, ſed quatenus homo mortuus eſt.

Vtrum Chriſtus in triduo Mortis fuerit homo.

RESOLVTIO.

DIcendum eſt ſecundum D. Tho. in 3. part. Q. 50. art. 4. quòd Chriſtus in Triduo mortis ſuæ Propriè, & naturaliter loquendo, non fuit homo. ratio eſt, quia homo habet vitam, ſed homo mortuus non habet vitam, igitur

homo

homo mortuus non est homo: sed Christus in Triduo verè fuit homo mortuus, igitur Christus in Triduo mortis suæ non fuit homo. præterea, si Christus in illo Triduo fuißet homo, vel fuisset mortalis, vel immortalis: non mortalis, quia iam fuerat mortuus: non immortalis, quia tantùm post resurrectionem factus fuit immortalis, ergo Christus in illo Triduo non fuit Homo. Magist. sent. in 3. dist. 22. contrariam tenet opinionem, cùm dicat, quòd respectu Diuinitatis vnitæ cum carne, & anima diuisis, Christus dicebatur verus homo, quia Diuinitas erat vnita corpori in sepulcro, & animæ ad inferos. quòd esse non potest, quia ad constituendum verum hominem, requiritur, quòd anima rationalis sit corpori humana vnione vnita. Christus autem in Triduo non habuit animam, & corpus sibi vnita vnione humanitatis, quia anima realiter erat separata à corpore, sed tantùm vnione Diuinitatis, quia anima, & corpus erant verbo vnita. Similiter Hugo de Sancto Vict. dixit Christum in Triduo mortis fuiße hominem, quia animam volebat esse hominem, sed Christus habebat animam sibi vnitam, ergo fuit homo quòd esse non potest, quia realiter anima non est homo. Diu. autem Bonau. in 3. sent. dist. 22. Q. 1. saluat omnes opiniones, dicendo, quòd homo potest considerari tripliter. Vno modo secundum eße eius aptitudinale. & sic salua est opinio Hugonis, quia

quando homo moritur, remanent principia eius, in quibus salua est ordinatio non solùm respectu formæ hominis, sed etiam huius hominis: alioquin non esset vera resurrectio. Vndè, quòd Christus in Triduo mortis fuerit homo, non solùm est verum de ipso, sed etiam de quocunque alio homine ab ipso, qui mortuus est, loquendo tamen de esse aptitudinali ipsius hominis, vt dictum est. Alio modo consideratur homo secundum esse eius partim actuale, partim aptitudinale. & sic potest concedi de Christo, quòd fuerit homo in Triduo: quia erat persona in actu, quamuis forma humanitatis seruaretur in aptitudine coniunctionis animæ, & carnis: hoc tamen non potest concedi de aliquo alio homine. & ideò per hunc modum dicendi, saluatur opinio Mag. sent. Tertio modo, consideratur homo secundum esse actuale eius. & sic nec de Christo, nec de alio homine, est verum dicere, quod sit homo, quandiu anima est separata à carne: nihil enim facit hominem esse actu, nisi actualis coniunctio animæ, cum carne. Vndè, per hunc modum, vera est opinio D. Th. in 3. par. Q. 50. art. 4. & aliorum Doctorum.

Vtrum fuerit conueniens Christum ad infernum descendere.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum D. Thom. in 3. part. Q. 52. art. 1. & D. Bonauen. in 3. senten. distin.*

dist.22. Q.4. quòd maximè conueniens fuit Christum ad infernum descendere, vt liberaret illos iustos, qui ibi detinebantur, propter peccatum primi parentis: nam ex peccato, homo incurrerat non solùm mortem corporis, sed etiam descensum ad inferos. & ideò sicut fuit conueniens, eum mori, vt nos liberaret à morte, ita fuit conueniens eum descendere ad inferos, vt nos à descensu ad inferos liberaret. qui quidem infernus consueuit, sinus Abraæ, & limbus appellari patrum, nam quatenus illi patres certa spe recreabantur possidendæ Regni hæreditatis, sinus Abraæ appellabatur, Quatenus verò aliquid in actu eis requiei deerat appellabatur limbus inferni. ratio autem, quare voluit Christus ad illum locum descendere, fuit duplex, videlicet propter consolationem vinctorum, & propter confusionem aduersariorum. propter consolationem vinctorum quidem, quia magna fuit eis consolatio de præsentia ipsius animæ Iesu Christi, & maximè fuit dignationis ostensio in hoc, quòd ipse personaliter voluit ad eos descendere. propter confusionem aduersariorum autem, vt ipsi Dæmones ex sua præsentia confunderentur, & sicuti Christus vicerat eos in terra in Natura assumpta, sic anima eius de eisdem triunpharet apud inferos, ipsos inuitos expoliando. patet igitur, quòd maximè conueniens fuit Christum ad infernum descendere.

Vtrum Chriſtus deſcenderit ad infernum damnatorum.

RESOLVTIO.

DIcendum eſt ſecundum D.Tho. in 3.part. Q.52. art.2. quòd aliquid dicitur eſſe alicubi dupliciter. Vno modo per effectum & hoc modo, Chriſtus in quemlibet infernorum deſcendit, diuerſimodè tamen; Nam in infernum Damnatorum habuit hunc effectum, quòd deſcendens ad inferos, eos de ſua incredulitate, & malitia confutauit, (nota, quòd ſub inferno damnatorum comprehenduntur etiam infantes, quos de ſola malitia peccati originalis confutauit) illis verò, qui in purgatorio detinebantur, ſpem gloriæ conſequendæ dedit. Sanctis autem patribus, qui pro ſolo peccato originali in inferno detinebantur, lumen gloriæ æternæ infudit. Alio modo, dicitur aliquid eſſe alicubi per ſuam eſſentiam. & hoc modo, anima Chriſti deſcendit ſolùm ad locum inferni, in quo iuſti detinebantur, vt & ſecundum animam, & ſecundum Diuinitatem, cui animæ vnita erat, eos viſitaret.

Vtrum Chriſtus fuerit totus in inferno.

RESOLVTIO.

DIcendum eſt ſecundum D.Tho. in 3.part. Q.52. art.3. & Magiſt. in 3.ſent. diſt.22. quòd Chriſtus fuit totus in inferno. nam

ſicut

ſicut in Triduo mortis Chriſti, totus Chriſtus fuit in ſepulcro per corpus ſibi vnitum: ſimiliter & totus Chriſtus fuit in inferno per animam ſibi vnitam. totus etiam Chriſtus tunc erat vbiq; , ratione Diuinæ Naturæ. Vndè, perſona Chriſti, cùm eſſet æterna, & indiuiſibilis, non erat maior, vel minor, quando erat vnita carni, & animæ coniunctis, quàm cùm erat vnita carni, & animæ diuiſis: & per conſequens dicamus, quòd Chriſtus fuit in ſepulcro totus, & in inferno totus.

Vtrum Chriſtus deſcendens ad inferos ſanctos patres inde liberauerit.

RESOLVTIO.

Dicendum eſt ſecundum Th. in 3. part. Q. 52. art. 5. quòd per paſſionem Chriſti liberatum eſt genus humanum, non ſolùm à peccato, ſed etiã à reatu pœnæ, vt ſuperius dictum eſt. dupliciter autem homines, propter reatum pœnæ, ibi detinebantur. Vno modo, pro peccato actuali, quod quilibet perſonaliter commiſerat. Alio modo, pro peccato totius humanæ Naturæ, quod à primo parente in omnes originaliter deuenit. Ideò Chriſtus deſcendens ad inferos, virtute ſuæ paſſionis, ab hoc reatu, ſanctos abſoluit, quo erant à Diuinæ eſſentiæ viſione excluſi, in qua quidem viſione perfecta hominis Beatitudo conſiſtit. per hoc autẽ, Sancti Patres in inferno detinebantur, in quo non poterant

terant, propter peccatum primi parentis, Deum per essentiam videre. & sic Christus descendens ad inferos, Sanctos patres ab inferis liberauit.

Vtrum statim in Cœlum ascenderint.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum D.Bonauen.in 3.sent. dist.22.Q.vlt. & Th.in 3.part. Q.52.art.4. in resp. ad primum, quod animæ de inferno per Christum liberatæ non statim in Cœlum ascenderunt, quamuis statim viderint lumen, & beatæ factæ sint. non enim statim post mortem Christi perductæ sunt in cœlum, quantum ad locum: sed benè verum est, quòd statim, post resolutionem animæ à corpore, in Christi descensu ad inferos, viderunt Deum per essentiam, & beatæ factæ sunt, vt dictum est: & patefactum est eis Cœlum, quantum ad præmium. Vndè in loco etiam infernali existentes habuerunt paradisum, & apertam Dei visionem, quæ non est aliud, quàm Vita æterna. præterea, ipse Christus debuit in omnibus primatum tenere, vt sit primogenitus (teste Apost. ad Rom.8.) in multis fratribus, tanquàm omnium caput. Resurrectio autem Christi, & eius ascensio differri debuit, propter nostræ fidei confirmationem. ideò dilata fuit resurrectio, vt ostenderetur, quòd verè Christus mortuus fuerit, & per consequens etiam ipsius ascensio. Quoniam ergo nulla*

anima in cœlum debuit ascendere ante Christum, hinc est, quòd non statim animæ illæ in cœlesti paradiso fuerunt locatæ, Diuina dispensatione hoc faciente ad nostram salutem. Vndè licet fuerint in paradiso spirituali, in quo dicuntur esse, quicunq; Diuina gloria perfruuntur; non tamen fuerunt in Cœlo Empyreo, in quo nunc existunt omnes animæ Sanctorum.

Vtrum Christus in suo descensu liberauerit animas à purgatorio.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum Tho. in 3.part. Q.52. art.8. quòd Christus, in suo descensu non liberauit de purgatorio, nisi illos, qui iam sufficienter purgati erant, vel etiam, qui dum adhuc viuerent, meruerunt per fidem, & deuotionem ad mortem Christi, vt eo descendente liberarentur à temporali purgatorij pœna.*

Vtrum fuerit necessarium Christum resurgere.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum Tho. in 3.part. Q.53. art.1. quòd Christum resurgere necessarium fuit propter quinque. Primò quidem ad commendationem Diuinæ iustitiæ, ad quam pertinet exaltare illos, qui se propter Deum humiliant, secundum*

dum illud Luc.1: deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. quia igitur Christus propter charitatem, & obedientiam Dei, se humiliauit vsque ad mortem crucis, oportebat, quòd exaltaretur à Deo vsque ad gloriosam resurrectionem. Secundò, ad fidei nostræ instructionem, quia per eius resurrectionem confirmata est fides nostra circa Diuinitatem Christi. Tertiò, ad subleuationem spei; quia dum videmus Christum resurgere, qui est caput nostrũ, speramus & nos resurrecturos. Quartò, ad informationem Vitæ fidelium, secundum illud Apost. ad Rom. 6. Christus resurgens ex mortuis, iam nõ moritur: ita, & vos existimate mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo. Quintò, ad complementum nostræ salutis, quia sicut per hoc, quod mala sustinuit (humiliatus est) moriendo, vt nos liberaret à malis, ita glorificatus est resurgendo, vt nos promoueret ad Bona secundum illud Rom.4. Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. patet igitur, quòd Christum resurgere maximè necessarium fuit.

Vtrum Christus fuerit causa suæ resurrectionis.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum D.Th.in 3.part.Q.53. art.4. quòd Christus potest considerari dupliciter.*

citer. Vno modo ratione Diuinitatis. Alio modo ratione ipsius Naturæ creatæ. Secundum igitur virtutem Diuinitatis vnitæ, & corpus resumpsit animam, quam deposuerat, & anima corpus resumpsit, quod dimiserat. & sic Christus propria virtute resurrexit. Si autem consideremus Christum ratione naturæ creatæ, sic non potuerunt corpus, & anima sibi inuicem reuniri, sed oportuit Christum resuscitari à Deo. patet itaque, quòd Christus ꝑpria virtute suæ Diuinitatis resurrexit, & per consequens fuit causa suæ resurrectionis.

Vtrum fuerit conueniens Christum ascendere in Cœlum.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D.Th. in 3.par.Q.57. art. 1. quòd Christum ascendisse in Cœlum, maximè cõueniens fuit. nam locus debet esse proportionatus locato; Christus autem post resurrectionem, vitam immortalem, & incorruptibilem inchoauit; locus autem, in quo nos habitamus est locus corruptionis; & ideò non fuit conueniens, quòd Christus post resurrectionem remaneret in terris, sed conueniens fuit, quòd ascenderet in Cœlum.

Vtrum Christus ascenderit in Cœlum secundum Diuinam Naturam.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D.Th. in 3.par.Q.57. art.2. quòd Christus potest considerari dupliciter. Vno modo, secundum Diuinam Naturam. & sic nullo modo ascendere in Cœlum potest conuenire Christo, tùm, quia nihil est Diuinitate altius, quo possit ascendere, tùm etiam, quia ascensio est motus localis, qui Diuinæ Naturæ non cõpetit, quæ est immobilis, & illocalis. Secundo modo, Christus potest considerari secundum humanam Naturam, quæ continetur loco, & motui subijci potest, & sic Christus ascendit in Cœlum quatenus homo, non in quantum Deus, vt dictum est. Sed notandum est pulcherrimè, quòd si ascensio Christi consideretur respectu causæ efficientis, tunc Christus ascendit in Cœlum, non quatenus homo, sed quatenus Deus; quia virtute Diuinitatis, in Cœlum ascendisse dicitur, non autem ex virtute humanæ Naturæ. Vndè, manifestum est, quòd simpliciter, Christus ascendit in Cœlum secundum humanam Naturam. Secundum quid verò, scilicet effectiuè, virtute Diuinitatis in Cœlum ascendisse dicitur, vt dictum est.

Vtrum Christo conueniat propriè sedere ad dextram Dei patris.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D.Th. in 3.par.Q.58. art. 1.2.3.& 4.quòd Christus potest considerari dupliciter. Vno modo secundum Diuinam Naturam; & sic Christo propriè conuenit sedere ad dexteram Dei Patris, quod quidem sedere ad dexteram Patris, nihil aliud est, quàm simul cum patre habere gloriam Diuinitatis, & Beatitudinem, & iudiciariam potestatem, immutabilitèr, atque regalitèr. Alio modo Christus potest considerari secundum humanam Naturam; & sic non eodem modo, quod Deus, sed sedet ad dexteram Patris .i. in bonis paternis potioribus, præ cæteris creaturis. Vndè Christus, quatenus Deus, dicitur sedere ad dexteram Patris, scilicet esse in æqualitate patris: Quatenus verò homo, (cùm sit minor ipso patre) dicitur sedere ad dexteram Patris, scilicet in excellenti possessione Diuinorum bonorum præ cæteris alijs creaturis. & ideò nulli alij, nec Angelo, nec homini conuenit sedere ad dexteram Patris, nisi soli Christo.

DE SACRAMENTIS.

Vtrum ex necessitate, Sacramenta fuerint instituta ad humanam salutem.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Magist. sent. in 4. dist. 1. & Tho. in 3. part. Q. 61. art. 1. & D. Bonauent. in 4. dist. eadem 1. art. 1. Q. 1. quòd necessitas duplex est. Vna est necessitas ineuitabilitatis. Altera est necessitas congruitatis. ideò ex necessitate congruitatis sacramenta instituta sunt: non autem ex necessitate ineuitabilitatis, quia Deus potentiam suam Sacramentis non alligauit. Vndè propter tria, principaliter sacramenta instituta sunt. primò quidem, propter humiliationem, vt dum homo rebus corporalibus subijcitur, per Sacramenta fieret humilis, & sic placeret Deo. Secundò, propter eruditionem, vt scilicet mens hominis, per rem visibilem, erudiretur ad cognoscendam virtutem inuisibilem, quæ intus est. Tertiò, propter exercitationem, vt homo præseruetur à noxijs actionibus per salubria exercitia Sacramentorum. non enim facilè capitur à tentatore, qui bono vacat exercitio. Vndè, Beatus Hier. nos monet, dum dicit: semper aliquid operis facito, vt te occupatum Diabolus inueniat.

Vtrum

Vtrum Sacramenta sint causa gratiæ.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D.Th.in 3.par.Q.62. art.1 quòd per aliquem modum, Sacramenta sunt causa gratiæ. & ideò sciendum est, quòd duplex est causa agens; principalis, scilicet, & instrumentalis. principalis quidẽ operatur per virtutem suæ formæ, cui assimilatur effectus, sicuti ignis suo calore calefacit. & hoc modo nullus potest causare gratiam nisi Deus. Alia est causa instrumentalis, quæ non agit per virtutem suæ Naturæ, sed solùm per motum, quo mouetur à principali agente: Vndè effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti: sicuti scamnum non assimilatur securi, sed arti, quæ est in mente artificis. & hoc modo, (scilicet instrumentaliter) Sacramenta sunt causa gratiæ.

Vtrum sacramenta nouæ legis habeant virtutem ex passione Christi.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Th. in 3.part. Q.62. art.5. quòd per modum instrumenti, (vt dictum est) Sacramenta nouæ legis sunt causa gratiæ. est autem duplex instrumentum. Vnum quidem separatum, vt baculus. Aliud autem coniunctum, vt manus. per instrumentum autem coniun-

ctum mouetur instrumentum separatum, sicut baculus per manum. Vndè, dicamus quòd principalis causa efficiens gratiæ, est ipse Deus, ad quem comparatur humanitas Christi sicuti instrumentum coniunctum, Sacramentum verò, sicut instrumentum separatum: & ideò oportet, quòd virtus salutifera à Diuinitate Christi per eius humanitatem in ipsa Sacramenta deriuetur. Vndè, Sacramenta Ecclesiæ specialiter habent virtutem ex passione Christi, cuius virtus quodammodo nobis copulatur per susceptionem Sacramentorum, in cuius signum, de latere Christi pendentis, in Cruce, fluxerunt aqua, & sanguis, quorum vnum pertinet ad Baptismum, aliud verò ad Eucharistiam, quæ principalia, & potissima Sacramenta sunt.

Vtrum solus Deus operetur interiorem effectum Sacramenti.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum D.Th.in 3.part.Q.64. art.1. quòd operari aliquem effectum contingit dupliciter, Vno modo per modum principalis agentis, Alio modo per modum instrumenti. Primo igitur modo, solus Deus operatur interiorem effectum Sacramenti, tùm quia solus Deus illabitur animæ, in qua Sacramenti effectus existit, vbi non est, tùm quia gratia, quæ est interior effectus Sacramenti, à solo Deo est. Secundo verò modo,*

homo

homo potest operari interiorem effectum Sacramenti, quatenus scilicet operatur per modum ministri, nam eadem est ratio ministri, & instrumenti; vtriusque enim actio exterius adhibetur. patet igitur, quòd solus Deus, tanquàm agens principale operatur interiorem effectum Sacramenti.

Vtrum Christus potestatem Sacramentalem potuerit ministris communicare.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D.Th.in 3.par. Q.64. art.4. quòd (vt dictum est) Christus in Sacramentis habuit duplicem potestatem, Vnam auctoritatis, quæ competit ei secundum quod Deus: & sic talem potestatem nulli creaturæ potuit communicare, sicut nec Diuinam essentiam. Aliam habuit ipse Christus potestatem excellentiæ, quæ cõpetit ei secundum quod homo; & sic talem potestatem potuit ministris communicare.

Vtrum mali ministri posint conferre Sacramenta.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Tho. in 3.part. Q.64. art.5. & Bonau in 4.sent. dist.5. art.2. Q.1. quòd mali sacerdotes non tantùm Sacramentum, sed etiam rem Sacramenti conferre possunt, nam non ipsi, (nisi instrumentaliter, vt dictum est) sed

Deus, cuius Sacramenta bona, imò optima sunt, interius operatur. ideò D. Th. loco citato, in resp. ad prim. dicit, quòd ministri Ecclesiæ neq; à peccatis mundant homines ad Sacramenta accedentes, neque gratiam conferunt sua virtute, sed hoc facit Christus sua potestate per eos, sicuti per quædam instrumenta, quæ siue sint argentea, siue sint plumbea, hoc nihil interest: nam effectus consequitur, in suscipientibus Sacramenta, non secundum similitudinem ministrorum; sed secundum configurationem ad Christum. præterea, secundum Dominic. Sot. in 4. sent. distin. 1. Q. 5. art. 5. minister dupliciter considerari potest. Vno modo, quatenus ei deest id, quod est de essentia Sacramenti: & hic est illegitimus, vt si non sacerdos consecrare præsumeret, aut absoluere: aut si quis absq; legitima intentione Ecclesiæ, aut sine forma, aut vera materia baptizare tentaret: & sic hunc, planum est, non perficere Sacramentum. Alio modo Consideratur Minister, non quatenus minister, sed quatenus homo: & sic licèt sacerdos, quatenus homo sit malus, hoc tamen non tollit potestatem instrumentalem ipsius sacerdotis conferendi Sacramenta: nam dicit Arist. in 2. Ethic. posse quempiam esse bonum artificem, vt potè pictorem, aut argentarium, licet non sit bonus homo. patet igitur, quòd mali ministri possunt conferre Sacramenta.

Vtrum Angeli posſint Sacramenta miniſtrare.

RESOLVTIO.

Dicendum eſt ſecundum D.Tho. in 3.part. Q. 64. art. 7. quòd ſic. nam ſicuti Deus virtutem ſuam non alligauit Sacramentis, quin poſſit ſine Sacramentis effectum Sacramentorum conferre: ita etiam virtutem ſuam non alligauit miniſtris Eccleſiæ, quin etiam Angelis poſſit virtutem tribuere miniſtrandi in Sacramentis: & præcipuè quia boni Angeli ſunt nuncij veritatis. Vndè, ſi aliquod ſacramentale miniſterium à bonis Angelis perficeretur, ratum habendum eſſet, quia manifeſtum eſt hoc fieri voluntate Diuina. ſi verò Dæmones, qui ſunt ſpiritus mendacij, aliquod ſacramentale miniſterium exhiberent, non eſſet ratum habendum. Sed ſciendum eſt, quòd tota virtus Sacramentorum à paſſione Chriſti deriuatur, ſecundum quod eſt homo, cui in natura propriè conformantur homines, non autem Angeli, ſed potius ſecundum paſſionem ſuam dicitur ſecundum quid ab Angelis minoratus, vt dicitur Heb.2. & ideò propriè ad homines pertinet diſpenſare Sacramenta, & in eis miniſtrare, non autem ad Angelos, niſi Diuina diſpenſatione hoc fieret.

Vtrum debeant esse septem Sacramenta Ecclesiæ.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D. Tho. in 3. part. Q. 65. art. 1. quòd conuenienter septem esse debent Sacramenta Ecclesiæ, vt medicinæ, & remedia contra peccatum. Nam Baptismus institutus est contra carentiam vitæ spiritualis, quæ insurgit ex peccato originali. Confirmatio verò contra infirmitatem, & imbecilitatem animi, quæ in nuper natis inuenitur. Eucharistia contra labilitatem animi ad peccandum. Pœnitentia contra peccatum actuale post baptismum commissum. Extrema vnctio contra reliquias peccatorum, nempè contra corruptos habitus, & inclinationes, quæ nobis vsu peccandi relinquuntur. Ordo contra dissolutionem multitudinis. Matrimonium autem in remedium contra concupiscentiam personalem, & contra defectum multitudinis, qui per mortem accidit. præterea, Sacramenta correspondent etiam virtutibus. Nam fidei respondet Baptismus, contra culpam originalem. Spei verò Extrema vnctio, contra venialem. Charitati autem Eucharistia, contra malitiæ pœnalitatem charitati contrariam. Ordo deinde coaptatur prudentiæ, contra pœnam ignorantiæ. Iustitiæ verò pœnitentia contra peccatum mortale. Temperantiæ

autem

autem matrimonium, contra pœnam concupiſcentiæ. Vltimò, Fortitudini correſpondet Confirmatio contra infirmitatem. Patet igitur, quòd conuenienter ſeptem eſſe debent Sacramenta Eccleſiæ, ad ſalutem animæ ordinata.

Vtrum omnia Sacramenta ſint de neceſſitate ſalutis.

RESOLVTIO.

Dicendum eſt ſecundum D.Tho. in 3. part. Q.65. art.4. quòd neceſſarium eſt duplex; Vnum ſine quo finis haberi non poteſt, ſicut cibus eſt neceſſarius Vitæ humanæ, & hoc, eſt ſimpliciter neceſſarium ad finem. Aliud eſt neceſſarium, ſine quo finis non habetur ita conuenienter, ſicut equus neceſſarius eſt ad iter, & hoc vocatur neceſſarium ſecundum quid, loquendo igitur de prima neceſſitate, ſunt tria Sacramēta, quorum vnum ſimpliciter, & abſolutè eſt neceſſariū Vitæ humanæ ſpirituali; & hoc eſt Sacramentum Baptiſmi. Duo verò alia ſunt neceſſaria ex ſuppoſitione, ad eſſe ſimiliter vitæ ſpiritualis: & talia ſunt Sacramentum pœnitentiæ, ſuppoſito ſcilicet peccato mortali poſt Baptiſmum, & Sacramentum ordinis, ſuppoſita gubernatione Eccleſiæ, nam vt dicitur prouerb. 11. vbi non eſt gubernator, populus corruet. Si verò loquamur de ſecunda ne-

da necessitate, sic cætera Sacramenta ad salutem Vitæ humanæ necessaria sunt.

DE BAPTISMO.

Vtrum Baptismus sit ipsa ablusio.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D. Th. in 3. part. Q. 66. art. 1. quòd in Sacramento Baptismi tria consideranda sunt. Aliquid scilicet, quod est sacramentum tantùm. Aliquid autem, quod est res, & sacramentum. Aliquid tertiò, quod est res tantum sacramenti. Sacramentum tantùm est aliquid visibile, exterius existens, quod scilicet est signum interioris effectus, cuiusmodi est ipsa aqua, & eius vsus, qui est ablutio. res autem, & Sacramentum, est character Baptismalis, qui est res per externam ablutionem significata. gratia verò ipsa iustificans, seu iustificatio, quæ per ipsam fit, est res tantùm Sacramenti. Vndè, quantum ad Sacramentum tantùm, Baptismus est ipsa ablutio exterior, quæ est signum ablutionis interioris animæ. & ideò Magist. in 4 sent. dist. 3. dicit, quòd Baptismus est ablutio corporis exterior facta sub præscripta verborum forma.

Vtrum

Vtrum ad Baptismum requiratur aqua simplex.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D. Th. in 3. part. Q. 66. art. 4. quòd ad Baptismum requiritur aqua simplex. Vndè, qualitercunque transmutetur aqua, dummodo non soluatur species aquæ, potest fieri baptismus, si verò soluatur species aquæ, non potest fieri Baptismus; ratio est, quia propria materia Baptismi est aqua: ergo vbicunque seruatur aqua, est Baptismus, vbicunque verò non seruatur, non erit Baptismus. Nomine autem aquæ intelligitur simplex, & pura: hoc est, vbi seruatur species aquæ. patet igitur, quòd ad Baptismum requiritur aqua simplex.

Vtrum hæc sit conueniens forma Baptismi, ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum. D. Th. in 3. part. Q. 66. art. 5. quòd in forma Baptismi exprimitur eius causa, quæ quidem causa duplex est. Vna scilicet principalis, à qua virtutem habet, quæ est Sancta Trinitas. Alia autem instrumentalis, scilicet minister, qui exterius tradit Sacramentum. & ideò oportet, in forma Baptismi, de vtraque fieri mentionem. tangitur causa

instrumentalis, cùm dicitur, ego te Baptizo, causa autem principalis, cùm dicitur, in nomine Patris, & Filij, & Spiritußancti. Vndè, hæc est conueniens forma Baptismi. ego te Baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritußancti.

Vtrum vnũ tantùm, vel plura sint Baptismata?

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D. Th. in 3. part. Q. 66. art. 11. & 12. & Dominic. Sot. in 4. sent. dist. 3. art. 11. quòd simpliciter, & absolutè vnum est Baptisma: sicuti vna fides, & vnus Deus, vt dicit Apost. ad Ephe. 4. secundum quid verò, alia duo reperiuntur Baptismata, quæ tamen includuntur in Baptismo aquæ, qui efficaciam habet, & ex passione Christi, & ex Spiritu Sancto; & ideò animaduertendum est, quòd per hoc non tollitur vnitas Baptismatis. Dicamus itaque, quòd tria sunt peccati remedia, quæ vocantur baptismata: nempè Baptismus aquæ, Martirium, & pœnitentia, seu fluminis, sanguinis, & flaminis. Baptismus aquæ, nomen fluminis, sumit à sua materia. Martiriũ quidem nuncupatur Baptismus sanguinis ab effectu effusionis eius. pœnitentia verò. s. motus cordis interior, appellatur Baptismus flaminis, à causa, qua flamine Spiritussancti inspiratur. præterea, sciendum est, quòd Baptismus tam sanguinis, quàm flaminis, ob id

nomina-

nominatur Baptismus, quia vterque supplet vicem Baptismi aquæ. Vndè, solus Baptismus aquæ absolutè, & simpliciter debet censeri Baptismus, & consequenter sacramentum; Baptisma verò flaminis, & sanguinis, ita dicuntur, quia supplent vicem Baptismi fluminis: & ideò Baptismus flaminis, vel sanguinis sufficit ad salutẽ, dum tamen ille, qui huiusmodi Baptismum recipit, habeat propositum recipiendi Baptismum fluminis, si potuerit. alioquin, si quis, neglecto Baptismo aquæ, alium susciperet Baptismum, scilicet, vel sanguinis, vel flaminis, illum ad iudicium sumeret. præterea, Baptismo flaminis, & sanguinis, Baptizantur tantùm boni. Baptismo verò fluminis, tam boni, quàm mali, sed boni ad suam salutem, mali verò ad suum iudicium. boni similiter sacramentum recipiunt, & rem sacramenti: mali verò sacramentum tantùm. Boni autem, qui baptizantur flaminis, vel sanguinis Baptismo, rem Sacramenti recipiunt, non autem Sacramentũ. Vndè, Baptismus aquæ est necessarius ex præcepto, Baptismus verò sanguinis, & flaminis necessarius est ex voto, non habita scilicet fluminis Baptismi copia, vt dictum est.

Vtrum soli præsbyteri posſint Baptizare.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D.Th.in 3.par.Q.67. art. 2.3. & 4. quòd simpliciter loquendo, solus

solus Sacerdos baptizare potest. nam sicuti propriè ad Sacerdotem pertinet consecrare Eucharistiam: (ad quod principaliter Sacerdotium ordinatur) ita ad proprium officium Sacerdotis pertinet baptizare. Secundum quid verò loquendo, scilicet causa necessitatis, etiam quilibet laicus, & quælibet mulier (seruata tamen forma baptismi) baptizare potest. nam inter omnia alia sacramenta maximæ necessitatis est baptismus, qui est regeneratio hominis in vitam spiritualem. Sciendum tamen est, quòd non debet mulier baptizare, si adsit copia viri, nec laicus homo, præsente clerico, nec clericus, præsente Sacerdote, qui tamen potest baptizare præsente Episcopo, eo quòd hoc pertinet ad officium Sacerdotis. & sic manifestum est, quòd non soli præsbiteri, sed etiam quilibet alius, in articulo necessitatis, baptizare potest, seruata tamen forma baptismi, vt dictum est.

Vtrum peccatores sint baptizandi.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Th. in 3. par. Q. 68. art. 4. quòd aliquis potest dici peccator dupliciter. Vno modo propter maculam, & reatum præteritum. & sic peccatoribus est Sacramentum Baptismi conferendum, quia est ad hoc specialiter institutum, vt per ipsum peccatorum sordes mundentur. Alio modo potest dici quis peccator

cator ex voluntate peccandi, & proposito persistendi in peccato. & sic huiusmodi peccatoribus nullo modo est Sacramentum baptismi conferendum. ratio est, quia per baptismum homines Christo incorporantur secundum illud Gal.3. quicunq; in Christo baptizati estis, Christum induistis: quamdiu autem aliquis habet voluntatem peccandi, non potest esse Christo coniunctus: ergo tales peccatores non sunt baptizandi. patet igitur, quòd peccator primo modo acceptus, baptizari potest: secundo verò modo sumptus, nequaquā est baptizandus.

Vtrum inuitis parentibus pueri Iudæorum, vel aliorum infidelium sint Baptizandi.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Th. in 3. part. Q. 68. art. 10. quòd pueri Iudæorum & infidelium, vel sunt adulti, vel non: si sunt adulti, habentes vsum rationis, tunc sunt in sua potestate, & consequenter propria voluntate, inuitis parentibus, possunt baptizari. & ideò tales licitè moneri possunt, & induci ad suscipiendum baptismum. Si verò non dum habent vsum liberi arbitrij, naturaliter sunt sub cura parentum, quandiu ipsi sibi prouidere non possunt. Vndè etiam & de pueris antiquorum dicitur in 4. sent. dist. 1. quòd saluabantur in fide parentum; & ideò contra iustitiam naturalem

turalem esset, si tales pueri inuitis parentibus baptizarētur, & maximè periculosum esset filios infidelium baptizare, quia de facili ad infidelitatem redirent, propter naturalem affectum ad parentes. Vndè, (vt dicitur dist. 45. c. de Iudæis) non sunt Iudæi ad fidem cogendi, nam cui vult Deus miseretur; & quem vult indurat.

Vtrum paruulus existens in vtero matris posśit baptizari.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum Scotum in 4. sent. dist. 4. Q. 3. & Th. in 3. part. Q. 68. art. 11. Quòd puer existens in vtero matris potest dupliciter se habere. Vno modo, quòd sit sic in vtero matris, ꝙ nulla pars pueri emineat, neque appareat extra vterum matris: & sic huiusmodi paruulus nullo modo potest baptizari baptismo fluminis: ratio est, quia tali baptismo nullus potest baptizari, nisi fiat ablutio; sed non potest fieri ablutio in puerum totaliter existentem in vtero matris; ergo huiusmodi paruulus nulla via potest baptizari baptismo fluminis. nam nemo renascitur, nisi prius nascatur. Alio modo puer existens in vtero matris potest cōsiderari secundum aliquā partem corporis exterius apparentem, & hoc dupliciter, uel enim illa pars pueri, quæ apparet extra est membrum principale: sicut caput; & sic*

potest

potest verè baptizari, & si sic baptizaretur, nullo modo esset rebaptizandus, ideò caueant sacerdotes: si dicatur contra, eo quòd Baptismus est ablutio corporis: sed corpus non abluitur per aquam; sed solùm caput: ergo nō est ibi verus Baptismus. respondeo, quòd ad Baptismum non requiritur, ꝙ totum corpus abluatur: sed sufficit, quòd aliqua pars abluatur, & maximè pars principalis: cuiusmodi est caput, in quo sunt omnes sensus. vel apparet pars minus principalis extra vterum: puta, pes, vel manus, & tunc dicitur, quòd debet baptizari aspergendo aquam, quia anima, secundum Arist. in 2. de anima, est tota in toto, & tota in qualibet parte corporis, idest anima sic est in toto, quòd extra totum nihil animæ est, quia non habet partes. Similiter anima est in qualibet parte: sic ꝙ nihil animæ est extra illam partem. illa ergo pars debet baptizari, quia est corpus animatum, & hoc in articulo necessitatis. Si autem vlterius quis dicat, an si sic baptizatus nascatur, debeat iterum rebaptizari: dicendum est, quòd sic: sub conditione tamen, dicendo: si tu es baptizatus, ego non te baptizo: sed si tu non es baptizatus, ego te baptizo: in nomine patris, & filij, & Spiritussancti.

Vtrum aliquis poſset in articulo neceſsitatis proijcere puerum intra puteum, dicendo verba: ego te baptizo, &c. ad hunc finem, vt paruulus ille eſset baptizatus.

RESOLVTIO.

DIcendum eſt, quòd nemo poteſt proijcere puerum intra puteum, ad hoc vt puer ille baptizetur; quia eſſet cauſa mortis illius pueri; & licèt etiam proijceret illum puerum, aliquis vel Sacerdos, vel laicus intra puteum, adhuc non eſſet baptizatus, quia baptiſmus eſt quodammodo ordinatus ad vitam: ſed iſta proiectio paruuli eſt magis ad mortem: ergo non eſſet baptiſmus. præterea, ſecundum Apoſt. ad Rom.3. non ſunt facienda mala, vt inde veniant bona; non debet ergo Sacerdos, vel aliquis alius proijcere paruulum aliquem, etiã imminente periculo mortis, intra puteum, vt ipſum baptizet: quia mortaliter peccaret. patet igitur, quòd nemo debet proijcere aliquem puerum intra puteum, ad hoc, vt paruulus ille baptizetur.

Vtrum aliquis ſimiliter debeat occidere matrem, vt baptizet puerum.

RESOLVTIO.

DIcendum eſt ſecundum D.Th. in 3.part.Q.68. art.11.in reſp. ad 3. quòd non ſunt facienda mala,

mala, vt veniant bona, & ideò non debet homo occidere matrem, vt baptizet puerum, quia peccat mortaliter. si tamen mater mortua fuerit, viuente prole in vtero, debet aperiri, vt puer baptizetur.

Vtrum per Baptismum tollantur omnia peccata.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum D.Tho. in 3. part. Q.69. art. 1. quòd per baptismum omnia delentur peccata. quòd probatur, primò authoritate Ezech. 36. dicentis, Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. deinde testimonio Pauli Rom.6. quicunq; baptizati estis in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati estis. & postea concludit. ita & vos existimate fratres, mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo, in Christo Iesu Domino nostro. mori autem peccato, & viuere Deo est, omni peccato relicto, in gratiam innocentiæ resurgere apud Deum, ergo per baptismum tollitur omne peccatum, tam actuale quàm originale, dummodo suscipiens non ponat obicem; vt habetur de consec. dist.4. c. Regenerante.*

Vtrum per baptismum homo liberetur ab omni reatu peccati.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum D.Th. in 3. part. Q.69.*

art.2.quòd sic. nam per baptismum aliquis incorporatur passioni, & morti Christi, secundum illud Rom.6. si mortui sumus cum Christo, credimus, quia simul etiam viuemus cum eo; igitur omni baptizato communicatur passio Christi ad remedium, ac si ipse passus, & mortuus esset. passio autem Christi, vt dictum est, est sufficiens satisfactio pro omnibus peccatis omnium hominum, & ideò ille, qui baptizatur, liberatur à reatu totius pœnæ sibi debitæ pro peccatis, ac si ipse sufficienter pro omnibus peccatis suis satisfecisset. Vndè, manifestum est, quòd per baptismum homo liberatur ab omni reatu peccati.

Vtrum effectus baptismi sit apertio ianuæ Regni Cœlestis.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D.Tho. in 3. part. Q.69. art.7. ꝙ sic. nam aperire ianuam Regni Cœlestis, nihil aliud est, quàm amouere impedimentum, quo quis impeditur Regnum Cœleste introire. hoc autem impedimentum est culpa, & reatus pœnæ; sed cùm per baptismum omnis culpa, & omnis reatus pœnæ tollatur, (vt dictum est) consequens etiam est, quòd effectus baptismi sit apertio ianuæ Regni Cœlestis. Sed notandum est, quòd propriè loquendo, apertio ianuæ Regni Cœlestis, per se primò est effectus mortis

Christi,

Christi, attribuitur autem baptismo, eo quòd in sui institutione Cœli, aperti leguntur, vt dicitur Mat.3. Vndè, baptismus in tantum aperit baptizato ianuam Regni Cœlestis, in quantum incorporat eum passioni Christi, virtutem eius homini applicando.

Vtrum baptismus sit iterabilis.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum Th. in 3.par.Q.66. art.9. & Scotum in 4 sent. dist.6. Q.7. ꝙ Sacramētum baptismi nullo modò est reiterabile, immò reiterans peccaret, & Dans, & recipiens. & in hoc conueniunt omnes Doctores, dato etiam, quòd quis esset hæreticus, & faceret omnia mala, non propter hoc deberet rebaptizari, & ratio est ista, quia Christus mortuus est tantùm semel: ergo baptismus solùm debet dari semel. patet consequentia, quia Sacramentum baptismi habet suam virtutem ex passione Christi. igitur si Christus, (vt dictum est) semel mortuus est, semel etiam debet baptismus dari. præterea, per baptismum deletur peccatum originale, quod peccatum postquā est deletum, nunquàm cōtrahimus, nec reuertimur in illud, ergo nec baptismus iterari debet; alia ratio est, quia per baptismum remittuntur omnia peccata, & omnis pęna dummodo non sit obex ergo congruū est, quod baptismus sit irreiterabilis.*

Vtrum paruulus expoſitus ſit baptizandus.

RESOLVTIO.

Dicendum eſt ſecundum Scotum in 4. ſent. diſt. 4. Q. 8. quòd paruulus ille, vel inuenitur cum aliquo ſigno ſignificante, quòd non ſit baptizatus, vel ſine aliquo ſigno. ſi inueniatur cum aliquo ſigno, quòd non ſit baptizatus, puta, cum ſcriptura dicente, quòd non ſit baptizatus paruulus ille; tunc dicitur, quòd talis ſine aliqua conditione eſt baptizandus. ſi autem talis inueniatur ſine ſigno, & non appareat, vtrum ſit baptizatus, vel non. in tali caſu reſpondet Scotus, quòd duo debent fieri, primò debet curatus inueſtigare per vicinas, vtrum aliqua ſciat ſi ſit baptizatus, vel non, ſi autem curatus nō habeat certitudinem, tunc ſecundariò debet illum baptizare ſub conditione, puta dicendo ſic. ſi non es baptizatus ego te baptizo, ſi es baptizatus ego non te baptizo &c. tamen ſi aliquam coniecturam inuenit per vicinas, quòd ille ſit baptizatus, talis non eſt baptizandus. præterea, ſciendum eſt, quòd paruulus expoſitus eſt ille, qui in aliquo loco dimittitur, ac ſi patrem, & matrem non haberet, vt ſunt iſti, qui ponuntur ad portas Eccleſiarū. Vndè, de iſtis habuimus ſermonem.

Vtrum

Vtrum in quocunq; statu vię post lapsum fuerit aliquod Sacramentum institutum.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Scotum in 4. sent. dist. 1. Q. 3. & Pet. Tat. ibidem Q. 3. quòd Sacramentum potest considerari dupliciter. Vno modo propriè. Alio modo impropriè. propriè Sacramentum est signum sensibile, gratiæ Dei, vel effectum eius gratuitum, ex institutione Diuina, efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis viatoris. & sic habemus septem Sacramenta propriè dicta, scilicet baptismum, pœnitentiam &c. Sacramentum verò impropriè dictũ est signum rei sacræ largo modo: & istud non est Sacramentum. non enim sequitur: istud est Sacramentum impropriè dictum, ergo est Sacramentũ, committitur enim fallacia secundum quid ad simpliciter. Sed tu velles scire, quæ sunt Sacramenta impropriè dicta. dico, quòd omnes cerimoniæ, quas habebant in veteri lege, erant Sacramenta impropriè dicta: sicut purgationes de actibus immundis, omnes oblationes, omnia sacrificia, vocantur Sacramenta impropriè dicta; & nunc in lege nostra, genuflexiones, & pectorum percussiones, vocantur Sacramenta impropriè dicta. Vndè, cerimoniæ, quas habebant antiqui, habebantur per modum præcepti, & non per modum Sacramenti:

ſic quòd, quando omittebant vnam, peccabant mortaliter. & ideò Notandum eſt, quòd Sacramenta propriè dicta, conferunt gratiam tanquàm ſigna efficacia, & certa: ſed Sacramenta impropriè dicta non conferunt gratiam per modum ſignorum efficacium: ſed per modum meriti, & virtute boni motus interioris, quem faciebant. Vndè dicendum eſt, quòd fuerunt tres ſtatus viæ, poſt lapſum Adæ. Primus eſt ſtatus Naturæ ab Adam vſque ad Moyſen. Secundus eſt ſtatus legis ſcriptæ à Moyſe vſq; ad Chriſtum. Tertius eſt ſtatus legis Chriſti, vel euangelicæ, & eſt à Chriſto vſque ad finem mundi. Ideò ante circunciſionem (quæ fuit primò data Abrae, & conſequenter ſemini eius) habuerunt Sacrificium, vel aliquid aliud loco Sacrificij, & Circunciſionis, quod eſſet in remedium peccati originalis. Quidam enim, vt paruuli ſaluabantur in fide parentum, parentes verò virtute ſacrificiorum; mulieres verò ante Circunciſionem, & poſt, per fidem, & operationem bonam, vel ſuam, ſi erant adultæ, vel parentum, ſi erant paruulæ, ſaluabantur. qui verò ex ſtirpe Abraæ deſcendebant per Circunciſionem iuſtificabantur, quæ Circunciſio durauit ab Abraam vſq; ad promulgationem baptiſmi per Apoſtolos Chriſti. Vndè, (vt dicit Th. in 3. part. Q. 70. art. 3. in reſp. ad. 1.) circunciſio fiebat in membro generationis, propter tria. Primò, quia ſignum erat fidei, qua Abraam

credidit

credidit Christum ex suo semine nasciturum. Secundo, quia erat in remedium peccati originalis, quod per actum generationis traducitur. Tertiò, quia ordinabatur ad diminutionem carnalis concupiscentiæ, quæ præcipuè in membris illis viget, propter abundantiam delectationis venereorum. patet igitur, quòd in quocunq; statu viæ, post peccatum Adæ, fuit aliquod remedium institutum.

DE CONFIRMATIONE.

Vtrum Confirmatio sit Sacramentum.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundm Th. in 3. par. Q. 72. art. 1. quòd sic. nam sacramenta nouæ legis ad speciales gratiæ effectus ordinantur: ergo vbi aliquis occurrit specialis effectus gratiæ, reperitur speciale sacramentum; manifestum est autem, quòd in hoc sacramento plenitudo gratiæ, & robur confertur, igitur Catholicè affirmare debemus, Confirmationem esse Sacramentum nouæ legis. præterea, sicuti vitam spiritualem homo accipit per baptismum, similiter in confirmatione homo baptizatus quasi quandam perfectam ætatē spiritualis vitæ accipere dicitur. & ideò in c. Spiritussanctus de consec. dist. 5. dicitur, quòd quamuis peccata in baptismo remittantur, quoad culpā, & pœnam; in confirmatione tamen, homo recipit

augmen-

augmentum gratiæ: & quamuis baptismus sufficiat ad salutem statim morituris, confirmatio tamen victuris est necessaria, vt confirmentur, & corroborentur contra vitia, & peccata, vt possint Diabolo resistere. Vndè, manifestum est, quòd victuris necessaria sunt confirmationis auxilia, quæ confirmatio armat, & instruit, ad agones mundi huius, & prælia reseruandos.

Vtrum Chrisma sit conueniens materia huius Sacramenti.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum Th. in 3. par. Q. 72. art. 2. quòd Chrisma est conueniens materia huius Sacramenti. nam, vt dictum est, in hoc Sacramento datur plenitudo Spiritussancti ad robur spirituale, quòd perfectæ ætati competit: gratia autem Spiritussancti in oleo designatur, Vndè Christus dicitur esse vnctus oleo lætitiæ propter plenitudinem Spiritussancti, quam habuit; & ideò oleum competit materiæ huius Sacramenti, admiscetur autem balsamum propter fragrãtiam odoris, & incorruptionem, quam præstat. Chrisma itaquè ex oleo, & balsamo consecratum, est conueniens materia huius sacramenti, forma verò, sunt verba, quæ dicit Episcopus, nẽpè egõ signo te signo Sanctæ Crucis, cõfirmo te Chrismate Salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti. Amẽ.*

Vtrum

Vtrum Sacramentum confirmationis imprimat Characterem.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Th. in 3. part. Q. 72. art. 5. quòd sic. nam Character est quædam spiritualis potestas ad aliquas sacras actiones ordinata; ideò sicut baptismus est quædam spiritualis regeneratio in vitam Christianam, ita etiam confirmatio est quoddam spirituale augmentum, promouens hominem in spiritualem ætatem perfectam; & ideò per Sacramentum confirmationis datur homini potestas spiritualis, ad quasdam alias actiones sacras, præter illas, ad quas datur ei potestas in baptismo. nã in baptismo accipit homo potestatem ad ea agenda, quæ ad propriam salutẽ pertinent, pro vt s. secundũ seipsum viuit; sed in confirmatione accipit homo potestatem ad agendũ ea, quæ pertinent ad pugnam spiritualem, contra hostes fidei, & ad hoc vt benè viuat. Vndè manifestum est, quòd sicuti in baptismo, similiter etiam in confirmatione, Character imprimitur.

Vtrum confirmatio possit conferri ab alio, quàm ab Episcopo.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D. Th. in 3. par. Q. 72. ar. 11. & D. Bonauent. in 4. sent. dist. 7. quòp

soli

ſoli Epiſcopi debent confirmare, & ſi alius confirmauerit, ſacramentum non tenebit, vt habetur de conſec. diſt. 5. c. Manus impoſitionis; & ratio *huius eſt, quia Epiſcopi, & eorum ſucceſſores ſunt prælati in Eccleſia principales: nec tempore Apoſtolorum ab alijs, quàm ab ipſis Apoſtolis, legitur, aut ſcitur hoc Sacramentum eſſe peractum. & ſi quæratur, vnde habet hoc Epiſcopus, reſpondet* Bonau. *loco cirato, in reſp. ad Vlt. quòd nec à iuriſdictione, nec ab ordine Sacerdotali, ſed ab auctoritate, & dignitate Epiſcopali, & eſt quædam eminentia, quæ confertur Epiſcopo, cùm conſecratur. patet igitur, quòd confirmatio conferri non poteſt ab alio, quàm ab Epiſcopo.*

Vtrum iſtud Sacramentum Confirmationis ſit neceſſarium ad ſalutem.

RESOLVTIO.

Dicendum eſt ſecũdum Scotum in 4. ſent. diſt. 7. Q. 2. & D. Bonau. ibidem art. 3. Q. 2. quòd ſacramentum confirmationis eſſe nobis neceſſariũ poteſt dupliciter intelligi. Vno modo, quòd ſit ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem: & ſic non eſt neceſſarium, quia multi ſunt ſalui, qui nunquàm receperunt hoc Sacramentum. Alio modo dicitur neceſſarium ſecundum quid, ſic videlicet, quòd non debet contemni opportunitate concurrente, & ab adulto, immò ſi adultus hoc Sacramentum

contem-

contemneret, peccaret mortaliter; & hoc modo, Sacramentum istud est necessarium, & tenemur recipere illud ad nostram salutem.

Vtrum Sacramentum confirmationis sit dignius Sacramento baptismi.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum Scotũ in 4. sent. dist. 7. Q. 3. quòd Baptismus, & confirmatio possunt adinuicem comparari dupliciter. Vno modo explicitè, scilicet ratione sui effectus per se considerati. Alio modo implicitè, scilicet ratione effectus, qui aliũ maiorem præsupponit. si primo modo confirmatio, & baptismus considerentur, sic sacramentum baptismi perfectius, & dignius est sacramento Confirmationis: ratio est, quia per baptismum deletur peccatum originale, & omne peccatum actuale, dummodo suscipiens non ponat obicem: similiter per baptismum datur gratia maior, quàm per confirmationem, ergo respectu huius primæ comparationis, baptismus dignior est confirmatione. Si verò secundo modo adinuicẽ comparentur confirmatio, & baptismus, tunc, quia confirmatio præsupponit baptismum, proculdubio debemus dicere, quòd Sacramentum confirmationis sit dignius, & perfectius solo Sacramẽto baptismi; ratio est, quia per Sacramentum Confirmationis, aliquis non solum dicitur viuere, sed etiam*

benè

benè viuere, & perfectè. per baptiſmum verò homo ſolùm viuit. præterea, duo bona perfectiora ſunt vno bono: ergo gratia, quæ datur in confirmatione, & gratia baptiſmi antehabita, eſt perfectior, quàm gratia baptiſmalis ſolùm: ideò præſupponendo primũ Sacramentum: ſecundum perfectius eſt ſolo primo. Vlterius, ſecundum Magiſt. in 4. ſent. diſt. 7. alia datur diſtinctio, quæ eſt iſta, Sacramentum confirmationis, & baptiſmi poſſunt conſiderari dupliciter. Vno modo ratione effectus. Alio modo ratione Miniſtri. primo modo. baptiſmus dignior eſt confirmatione, quia, vt dictum eſt, baptiſmus plus valet ad remiſſionem peccatorum. Secundo modo autem, confirmatio dignior eſt ipſo baptiſmo, eo quòd à digniori datur, nempè ab Epiſcopo. omnia itaquè clara ſunt.

DE SACRAMENTO Euachariſtiæ.

Vtrum Euchariſtia ſit Sacramentum.

RESOLVTIO.

Dicendum eſt ſecundum Mag. ſent. in 4. diſt. 8. quòd in Euchariſtia tria ſunt diſtinguenda. Vnum, quod eſt Sacramentum, vt ſpecies viſibilis, ſ. forma panis, & vini. Aliud, quod eſt Sacramentum, & res, vt eſt caro Chriſti vera, quam de Virgine traxit, & ſanguis verus, quem

quem pro nobis in cruce effudit. Tertium verò q̃ est res, & non Sacramentum, vt corpus Christi mysticum. Sacramentum est inuisibilis gratiæ, visibile signum, cuiusmodi sunt species panis, & vini. res verò huius Sacramenti est duplex, vna contenta, & significata; & hæc est caro Christi vera, & sanguis verus. res verò significata, & non contenta, est corpus Christi mysticum, quod est vnitas Ecclesiæ. Eucharistia ergo (vt dicit Scotus in 4. Sent. dist. 8. Q. 1.) est Sacramentum corporis, vt Sanguinis Christi, veraciter contenti sub speciebus panis, & vini, post consecrationẽ factam à sacerdote, sub verbis certis, cum debita intentione prolatis, ex institutione diuina, veraciter significans Corpus Christi, & sanguinem sub illis speciebus realiter contineri. Vndè in hoc Sacramento non solum confertur gratiæ, & virtutis augmentum, sed etiam ille totus sumitur, qui est fons, & origo totius gratiæ. præterea, sacramenta Ecclesiæ ordinantur ad subueniendum homini in vita Spirituali; (vt dicit Th. in 3. part. Q. 73. art. 1.) vita autem spiritualis quodammodo vitæ corporali conformatur, eo quòd corporalia spiritualium similitudinem gerunt, manifestum est autem, quòd sicut ad vitã corporalem requiritur generatio, per quam, homo vitam accipit, & augmentum, quo homo ad perfectionem vitæ perducitur: ita etiam requiritur alimentum, quo homo con-

mo conseruatur in vita. & ideò similiter dicere debemus, quòd sicut ad vitam spiritualem oportet eße baptismum, qui est spiritualis generatio, & Confirmationem, quæ est spirituale augmentũ: ita oportet esse sacramentum Eucharistiæ, quod est spirituale alimentum.

Vtrum totus Christus contineatur sub hoc Sacramento.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum D. Thom. in 3. part. Q.76. art. 1. quòd omninò necesse est confiteri, secundum fidem Catholicam, quòd totus Christus sit in hoc Sacramento, scilicet in Diuina, & humana natura. sed sciendum est ꝙ aliquid Christi est in hoc Sacramento dupliciter. Vno modo directè, & ex vi Sacramenti. Alio modo indirectè, & ex naturali concomitantia. ex vi quidem Sacramenti, existit sub speciebus id, in quod directè substantia panis, & vini præexistens conuertitur, pro vt verbis formæ significatur hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus. Vndè, sub speciebus panis tantùm est corpus, & sub speciebus vini tantum est sanguis. ex naturali verò concomitantia est in hoc Sacramento quicquid ei coniunctum est, in quod cõuersio terminatur. probatur, quia si duo sunt realiter coniuncta, vbicunque est vnum, ibi etiam est alterum: sola enim ratione*

tione mentis potest vnum sine altero considerari. Vndè, consequens est, vt tam sub speciebus panis, quàm sub speciebus vini totus cõtineatur Christus.

Vtrum totus Christus contineatur sub vtraq; specie huius Sacramenti.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundũ D.Th. in 3.part.Q.76. art.2. quòd certissimè tenendum est, sub vtraque specie huius Sacramenti, totum esse Christum, aliter tamen, & aliter. nam sub speciebus panis est quidem corpus Christi ex vi Sacramenti, sanguis autem ex naturali concomitantia, sicut anima, & Diuinitas; ratio est, quia Diuinitas corpus assumptum nunquam deposuit, & anima Christi semper est realiter corpori eius vnita, secundum illud Apost. ad Rom. 6. Christus resurgens ex mortuis iam non moritur. & ideò vbicunque est corpus Christi, necesse est etiam concomitatiuè eius animam, & Diuinitatem esse. Sub speciebus verò vini, est è conuerso sanguis quidem ex vi consecrationis, & corpus ex naturali concomitantia, sicut anima, & Diuinitas; eo quòd nunc sanguis Christi non est à corpore separatus, sicut fuit in triduo. Vndè, D.Th. infert, quòd si tunc, hoc Sacramentum fuisset celebratum, sub speciebus panis fuisset corpus Christi sine sanguine, & sub speciebus vini sanguis sine corpore; anima verò nec

rò nec ex vi Sacramenti, neque ex naturali concomitantia in hoc Sacramento fuiſſet, ratio eſt iſta, quia anima Chriſti realiter ſeparata fuit à corpore, ſicuti & ſanguis. patet igitur, quòd verè totus Chriſtus cõtinetur ſub vtraq; ſpecie huius Sacramenti, diuerſimodè tamen, vt dictum eſt.

Vtrum Corpus Chriſti ſit in hoc Sacramento, ſicut in loco.

RESOLVTIO.

D*Icendum eſt ſecundũ D.Th.in 3.part.Q.76. art.5. quòd, Corpus Chriſti eſſe in hoc Sacramento poteſt intelligi dupliciter. Vno modo, quòd ſit in hoc Sacramento ſecundum proprium modum quantitatis dimenſiuæ; & ſic, hoc eſſe non poteſt, quia locus debet eſſe æqualis locato, vt dicit philoſophus in 4. Phyſic. ſed locus, vbi eſt hoc Sacramentum, eſt multo minor, quàm Corpus Chriſti; ergo Corpus Chriſti, non eſt in hoc Sacramento, ſicut in loco. Alio modo, Corpus Chriſti poteſt conſiderari ſecundum modum ſubſtantiæ, & ſic hoc modo, Corpus Chriſti eſt in hoc Sacramento. eo enim modo, quo ſubſtantia à dimenſionibus continetur, Corpus Chriſti dicitur eſſe in hoc Sacramento. Vndè, nullo modo, Corpus Chriſti eſt in hoc Sacramento localiter, ſed per modũ ſubſtantiæ, vt dictum eſt. præterea, D.Bonau.in 4.ſent. diſt.10. art.1. Q.3. dicit, quòd ſicut filius Dei ſe-*

cundum Diuinitatem, habet triplicem modum essendi, in omnibus per essentiam, in iustis per gratiam, in Christo per vnionē, similiter Corpus Christi localiter est in Cælo, personaliter in verbo, Sacramentaliter in altari. Vndè, possumus dicere, quòd Corpus Christi sit Sacramentaliter in altari; non autem in hoc Sacramento sicut in loco, sed (vt ait D.Tho.) per modum substantiæ.

Vtrum accidentia remaneant sine subiecto in hoc Sacramento.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum Mag.sent.in 4.dist.12. & D.Th.in 3.part.Q.77.art.1.& D.Bonau. in 4. similiter, dist.12.art.1. Q.3.quòd sic. nam sicuti Deus animā rationalem ex nihilo creat: similiter etiam virtute sua facere potest, quòd accidentia maneant in hoc Sacramento sine subiecto. cùm enim effectus magis dependeant à causa prima, quàm à causa secunda, Deus qui est prima causa substantiæ, & accidentis, per suam infinitam virtutem conseruare potest in esse accidens, subtracta substantia, per quam conseruabatur in esse, sicut per propriam causam; sicut etiam alios effectus causarum naturalium potest producere, sine naturalibus causis, sicut primum hominem sine semine produxit, vt humanum corpus formauit in vtero Virginis sine virili semine. Vndè, con-*

cludere debemus quòd virtute Diuina accidentia remanent ſine ſubiecto in hoc Sacramento Euchariſtiæ ad miniſterij ritum, & ſuffragium fidei.

Vtrum duo ſint modi manducandi.

RESOLVTIO.

Dicendum eſt ſecundum D.Th.in 3.part.Q.80. art.1.& Mag.in 4.ſent.diſt.9.& D.Bonau. ibidem art.1. Q.1. quòd, ſecundum duas res huius Sacramenti, ſunt duo modi manducandi. Vnus Sacramẽtalis, qui conſiſtit in ſumptione ipſius ſub viſibili ſpecie panis, & vini. Alius autem ſpiritualis, qui conſiſtit in vnione ad Chriſtum in Sacramento. Vndè, ille ſpiritualiter manducat, qui in vnitate Chriſti, & Eccleſiæ manet: & ideò ſoli boni manducant ſpiritualiter; Sacramentum verò manducare poſſunt tam boni, quàm mali, ſed mali ad ſuam condemnationem ſumunt, boni verò ad ſuam ſalutem. præterea, quidam accedunt malè diſpoſiti; & hi manducant Sacramentaliter. Quidam verò benè; & hi ſpiritualiter. quidam ſuſcipiunt ore corporis: & hi Sacramentaliter. Quidam verò ore cordis, & hi ſpiritualiter manducant. patet itaquè, quòd duo ſunt modi manducandi, vnus.ſ. Sacramentalis, alter verò ſpiritualis, vt dictum eſt:

Vtrum

Vtrum Sacerdos debeat denegare Corpus Christi peccatori petenti.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D.Th. in 3.part.Q.80. art.6. quòd peccator duplex est, occultus scilicet, & manifestus. peccator occultus est, qui extrinsecùs apud alios viros bonos, videri vult bonus, cùm tamen sit malus. Manifestus verò, qui publicè manet in peccato mortali, cuiusmodi sunt publici vsurarij, publici raptores, & huiusmodi. Ideò manifestis peccatoribus non debet Sacerdos, quamuis petant, Sacram Communionem concedere. si verò non fuerint manifesti peccatores, sed occulti, non potest Sacerdos eis petentibus, Sacram Communionem denegare; ratio est, quia quilibet Christianus, ex hoc ipso, quod est baptizatus ius habet ad petenda omnia Sacramenta, nec potest, nisi ob manifestam causam, illo spoliari iure. potest tamen Sacerdos, qui est conscius criminis occultè monere peccatorem occultum, vel etiam in publico generaliter omnes, ne ad mensam domini accedant, antequàm de peccatis pœniteant, & Ecclesiæ reconcilientur. & sic patet, quòd occultus peccator ad communionem admitti debet, non autem manifestus, vt dictum fuit.

Quare Corpus Christi sub aliena specie sumitur?

RESOLVTIO.

Respondetur secundum Magist. in 4. sent. distin. 11. tripliciter; primò, hoc fit ad augendum meritum fidei, quæ est de his, quæ non videntur: nam fides non habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum. Secundo, ad vitandum horrorem, nam non habemus in vsu carnem crudam comedere, & sanguinem bibere. Tertio, ne detur infidelibus occasio irridendi. sumitur etiam hoc Sacramentum sub duplici specie, quia Christus dupilcem naturã assumpsit, animam, scilicet, & carnem, & hoc Sacramentum est ad tuitionem vtriusque. & quamuis sit duplex species, vnum tamen est Sacramentum; & sub vtraq; specie vnus Christus, vt superius dictum fuit.

DE POENITENTIA.

Vtrum pœnitentia sit Sacramentum.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D.Tho. in 3. part. Q.84. art.1. quòd pœnitentia, quæ in Ecclesia agitur, est sacramentum. nam sicuti baptismus adhibetur ad purificandum ab origi-

nali peccato, ita & pœnitentia, quæ in Ecclesia agitur, ad remittendum peccatum actuale, sed baptismus est sacramentum, ergo similiter & pœnitentia. præterea, sacramentum in aliqua celebratione consistit, cùm res gesta ita sit, vt aliquid significatiuè sanctè accipiamus, quod sanctè accipiendum est, manifestum est autem, quòd in pœnitentia ita res gesta sit, quòd aliquid Sanctum significatur, tam ex parte peccatoris pœnitentis, quàm ex parte Sacerdotis absoluentis; nam peccator pœnitens per ea, quæ facit, & dicit, ostendit cor suum à peccato recessisse: similiter Sacerdos per ea, quæ agit, & dicit circa pœnitentem, significat opus Dei remittentis peccatum, ergo pœnitentia est Sacramentum, per quod remittuntur peccata, quæ post baptismum committuntur.

Vtrum pœnitentia sit de necessitate salutis.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D.Th. in 3. part. Q.84. art.5. quòd aliquid est necessarium ad salutem dupliciter. Vno modo absolutè. Alio modo ex suppositione. absolutè quidem, ad salutem necessarium est illud, sine quo nullus salutem consequi potest, sicut Sacramentum baptismi, per quod aliquis in Christo renascitur. Necessarium verò ex suppositione est sacramentum pœnitentiæ, quod quidem est necessarium non omnibus, sed peccato-

subiacentibus; supposito enim peccato mortali, necessariò requiritur pœnitentia ad illud delendum. & sic manifestum est, quòd pœnitentia est necessaria ex suppositione ad salutem, post peccatum, sicut medicatio corporalis, postquā homo in morbum periculosum inciderit.

Vtrum pœnitentia debeat durare vsque ad finem Vitæ.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum D.Th.in 3.part.Q.84. art.8.quòd duplex est pœnitentia, interior scilicet, & exterior. interior quidem pœnitentia est, qua quis de peccato commisso dolet. exterior verò est, qua quis exteriora signa doloris ostendit, & ad extra peccata sua cōfitetur Sacerdoti absoluenti, & iuxta eius arbitrium satisfacit. ideò pęnitentia interior debet durare vsque ad finem Vitæ: semper enim homini displicere debet, quod peccauit; nam si ei placeret peccasse, ex hoc ipso peccatum incurreret, & fructum veniæ perderet. Vndè, displicentia parit dolorem in eo, qui doloris est capax, qualis est homo in hac vita: in patria verò, vbi dolor locum non habet, displicebunt beatis peccata præterita, sine omni tristitia, secundum illud Isai.65. obliuioni traditæ sunt angustiæ priores. pœnitentia autem exterior non oportet, quòd duret vsq; ad finem vitæ, sed vsque ad determina-*

tum

tum tempus, secundum mensuram peccati. Vndè, sciendum est, quòd vera pœnitentia non solùm remouet peccata præterita, sed etiam præseruat hominem à peccatis futuris. quamuis igitur homo in primo instanti veræ pœnitentiæ, remissionẽ consequatur præteritorum peccatorum, oportet tamen in homine perseuerare pœnitentiam, ne iterum in peccatum incidat.

Vtrum remissa culpa per pœnitentiam remaneat reatus pœnæ.

RESOLVTIO.

DIcendum est secundum D.Th.in 3.part.Q.86. art.4. & Dom. Sot. in 4.sent. distin.15. Q.1. art.4. ꝙ in peccato mortali sunt duo, scilicet auersio à Deo, qui est incommutabile bonum, & conuersio inordinata ad bonum commutabile. ideò ex parte auersionis à Deo consequitur peccatum mortale reatus pœnæ æternæ, vt qui contra æternum bonum peccauit, in æternum puniatur. Ex parte verò conuersionis ad bonum Commutabile, (in quantum est contra ordinem rationis) consequitur etiam peccatũ mortale reatus alicuius pœnæ; nam inordinatio culpæ non reducitur ad ordinem iustitiæ, nisi per pœnam, vt etiam ciuilis nos res publica docet. iustum est enim, vt qui voluntati suæ plus indulsit, quàm debuit, contra voluntatem suã aliquid patiatur; sed quia conuersio ad commu-

tabile

tabile bonum est finita, non habet ex hac parte peccatum, quòd debeatur ei pœna æterna. Vndè, si sit inordinata conuersio ad bonum commutabile, sine auersione à Deo, sicuti est in peccatis venialibus, non debetur peccato pœna æterna, sed temporalis. ex his ergo colligitur, quòd per pœnitentiam simul cum culpa remittitur etiā reatus pœnæ æternæ. probatur, quia cùm per gratiam pœnitentiæ remittatur culpa, fiatq; conuersio in Deum, tollitur auersio, atq; adeò reatus pœnæ, quæ auersioni respondebat: potest tamen, remissa culpa per pœnitentiā, manere reatus alicuius pœnæ temporalis.

Vtrum peccata dimissa redeant per subsequens peccatum.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D.Th. in 3.par.Q.88. art.1. & Dom.Sot. in 4. sent. distin.16.Q.1. art.1. quòd (vt diximus) in peccato duo considerantur auersio scilicet à Deo, & conuersio ad bonum creatum. ideò ex parte conuersionis, peccatum mortale subsequens non facit redire peccata mortalia prius abolita, alioquin sequeretur, quòd homo per peccatum prodigalitatis reduceretur in habitum, vel dispositionem auaritiæ prius extinctæ, & sic cōtrarium esset causa sui contrarij, quod est impossibile. atque adeò nec redit reatus pœnæ sensus, qui, illis dimissis, debebatur. Ex altera verò parte,

rô parte, si consideremus in peccatis mortalibus absolutè, id quod est ex parte auersionis, tunc per peccatum mortale subsequens redit illud, quod fuerat in prioribus peccatis, ante eorum remissionem, in quantum scilicet per peccatũ mortale sequens, homo priuatur gratia Dei, & fit reus pœnæ æternæ, sicuti & prius erat. in quo sensu ait Iacob. c.2. qui offendit in vno, factus est omnium reus. & sic manifestum est, quòd peccatum mortale, semel per pœnitentiam dimissum, non dicitur redire ex parte conuersionis, per subsequens peccatum, sed solùm ex parte auersionis, quia per quodlibet peccatum mortale, homo auertitur à Deo, & priuatur gratia Dei, vt dictum est.

Vtrum contritio, confesſio, & ſatisfactio ſint tres partes pœnitentiæ.

RESOLVTIO.

DIcendum est secundum Mag. in 4. sent. dist. 16. & D. Th. in 3. part. Q. 90. art. 2. & 3. quòd pœnitentia dupliciter considerari potest. Vno modo, pro virtute. Alio modo pro Sacramento. si loquamur de pœnitentia, prout est virtus, sic dicendum est, quòd contritio, confesſio, & satisfactio non sunt partes eius, sed contritio est actus interior ab ea elicitus, vt dicit Dur. si verò loquamur de pœnitentia, pro vt Sacramentum, sic communiter tres assignantur partes pœnitentiæ,

nempè

nempè contritio, confessio, & Satisfactio, nam sicuti peccatum corde, ore, & opere perpetratur, similiter per contritionem, confessionem, & satisfactionem, per claues Ecclesiæ deletur. fit ergo vt partes pœnitentiæ, nec plures sint, nec pauciores his tribus præassignatis.

Vtrum confessio Sacramentalis soli Sacerdoti sit facienda.

RESOLVTIO.

DIcendum est secundum D. Th. in 4. sent. dist. 17. Q. 3. art. 3. & Domin. Sot. in 4. similiter dist. 18. Q. 4. art. 1. & D. Bonau. ibidem, dist. 17. art. 5. Q. 1. quòd solus Sacerdos est Sacramenti pœnitentiæ minister, cui necessariò facienda est confessio. & ratio est ista. Sacramentum pœnitentiæ est iudicium, quo homines virtute clauicum ad Regnum Cœlorum admittuntur, aut inde excludunt: eiusmodi aūt claues eius Apostolis, ac subinde eorum successoribus Sacerdotibus collatæ sunt, ergo illi sunt soli ministri. probatur minor: quia Mat. 16. Petro singulariter dictum fuit, tibi dabo claues regni Cœlorum, quodcunque Solueris, &c. & Mat. 18. Apost. idem verbum repetitum est, Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in Cœlo &c. præterea, gratia, quæ per Sacramenta confertur, à Christi capite descendit in membra; & ideò solus est ille minister sacramen-

cramen-

cramentorum, in quibus gratia datur, qui habet potestatem super corpus Christi verum, quòd solius Sacrrdotis est, qui consecrare Eucharistiam potest: Vndè, cùm in Sacramento pœnitentiæ gratia conferatur, consequens est, quòd solus Sacerdos sit minister huius Sacramenti. & ideò, illi soli est facienda Sacramentalis confessio.

Vtrum aliquis in extremo vitæ suæ pœnitere possit.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum Th. in 4. sent. dist. 20. Q. 1. art. 1. quòd sic. nam quãdiu homo habet vsum liberi arbitrij in hac vita, in qua non dum est confirmatum ad malum, potest præparare se ad gratiam, de peccatis dolendo, & sic gratiam remissionis peccatorum consequi potest. ideò pœnitentia facta sufficiens, siue sit in extremis, siue non, siue interior, siue exterior valet ad deletionem peccati, sed interior displicentia vel pœnitentia, si ista fiat, vel in extremis, vel in infirmitate delet peccatum; exterior verò, quæ fit cum confessione, & absolutione, si sit sufficiens delet peccatum, præsuppposita tamen cõtritione interiori. præterea, Deus non est minus potens circa infirmum, quàm circa sanum, sed si sanus haberet istam pœnitentiam, dimitterentur sibi peccata; igitur sic erit, si est infirmus, & in extre-*

mo

mo vitæ, & habeat illam pœnitentiam, Deus potest ipsi delere peccata. Sciendum tamen est, (vt dicit Mag. sent. in 4. dist. 20.) quòd, omnibus illis, qui in fine pœnitentiam agunt, succurrere debemus, certitudinem tamen illorum scire non possumus. ideò vt vnusquisque habeat vitam æternã, agat pœnitentiam, dum sanus est: quia si sic agit, dico illum esse securum, quia pœnitentiam egit eo tempore, quo peccare potuit. si autem quis velit agere pœnitentiam, quando iam peccare non potest, tunc non ille peccata dimittit, sed peccata illum dimittunt. & Ideò sanus peccata dimittit, & infirmum peccata dimittunt. consulendum est ergo sanis, vt pœnitentiam in sanitate agant: Vnde, pulcherimum elicimus Documentum, scilicet qualiter agere debeamus circa hominem, qui est in extremis, inducendo eum ad pœnitentiam. debemus, auditores, persuadere infirmo, quòd non plus recordetur de rebus mundanis, sed de Deo, & habeat displicentiam de peccatis: cogitet de magna misericordia Dei, & quomodo pepercit latroni, sic vt ei diceret. Hodie mecum eris in Paradiso. temporibus autem nostris, hoc non seruatur, imò sæpè, vxores, filij, fratres, amici, & huiusmodi sunt causa damnationis multorum hominum in extremis morientium. clamat enim filius, pater mi, sine mihi tuam pecuniam, quam in arca habes, non autem fratri meo. clamat vxor, ò socie-

tas mea, fac sic, vt ego possim bonis tuis vti, dum viuo, & possim permanere in domo tua. clamant nonnulli alij, amicè dona nobis illum agrum, non ne scis, quia, & nos benefecimus tibi, dum eras iuuenis. & sic de cæteris omnibus dico, qui infirmos semper tentant de bonis temporalibus, non enim quærunt eorum salutem, sed damnationem: haberent autem curam de eorum salute, si dicerẽt, age pœnitentiam, noli cogitare de hoc mundo, nec de bonis tuis temporalibus, sed de Deo, qui te creauit, & nos omnes ad imaginem, & similitudinẽ suam, & dicas, Domine, parce mihi peccatori, & ne tradas bestijs animas confitentes tibi, & huiusmodi verba consolatoria. Vndè, manifestum est, quòd quilibet habens vsum liberi arbitrij, potest etiam in fine vitæ suæ agere pœnitentiam, nec debet aliquis desperare de misericordia Dei, quia infinita est. verum tamen est, quòd difficilè saluatur homo in fine vitæ suæ. dum tempus ergo habemus operemur bonum, s. agamus pœnitentiã, dum tempus est pœnitentiæ. & sic non dæmones, neq; ignẽ æternum, sed Deũ per essentiam videbimus æternũ.

Vtrum in aliquo casu liceat alijs, quàm Sacerdotibus confiteri.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum Th. in 4. sent. dist. 17. Q. 3. art. 3. quòd sic. nam sicuti baptismus*

est

est sacramentum necessitatis, ita & pœnitentia, (quãuis primũ, necessarium sit necessitate simpliciter sumpta, secundum autem, s. Sacramentũ pœnitentiæ, necessarium sit necessitate conditionata, vt superius dictum fuit.) baptismus autem duplicem habet ministrum: vnum, cui ex officio baptizare incumbit, scilicet sacerdotem: alium verò, cui ratione necessitatis dispensatio baptismi committitur: similiter igitur minister pœnitentiæ, cui confessio est facienda ex officio, est ipse Sacerdos: sed in necessitate etiam Laicus vicem supplet Sacerdotis, vt ei confessio fieri possit. & sic patet, ꝙ in articulo necessitatis, scilicet quando haberi non potest copia Sacerdotis, quilibet etiam Laico confiteri potest,

Vtrum purgatorium sit post hanc vitam.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum. D.Th.in 4.sent. dist. 21. Q. 1. art.1. & D. Bonau.in 4.sent.dist. 20. art.1. Q. 1. quòd ex necessitate, post hanc vitam reperitur locus, in quo animæ purgantur à pœnis, quæ ex remissis mortalibus relictæ sunt, vel venialibus sunt annexæ, neque in hac vita fuerunt satisfactione deletæ, nam pęna Purgatorij solùm est ad soluendum debitum. & iustitia Dei hoc exigit, vt peccatum per debitam pœnam ordinetur. purgatorium ergo non est nisi ad abstergendos*

gendos

gendos reatus, aut pęnæ, aut venialis culpæ. Quòd autem verum sit purgatorium, ex necessitate, post hanc vitam reperiri, probatur per illud, dicitur 2. Math. 12. Sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur, quod nec de damnatis, nec de beatis intelligi potest, non de beatis, quia illi nullo indigent auxilio; minus potest intelligi de Damnatis, quia in igne æterno cruciantur, in quo nulla est redemptio, immò dicam, quòd nec Deus ipse potest de potentia ordinata aliquem de igne æterno liberare: ergo illud dictum debet intelligi de illis, qui in igne purgantur à reatu alicuius pęnæ, aut venialis culpæ, quæ stat cum gratia. Sciendum tamen est, quòd multorum animæ hinc sine reatu alicuius pęnæ proficiscuntur; vt sacro fonte abluti, ante vsum rationis defuncti, & Apostoli, & Martires, & multi alij Sancti, qui gloriam æternam immediatè consecuti sunt. si verò quis quærat, quis nam locus, & quis ignis sit ipsius purgatorij, dicendum est secundum Theologos præassignatos, quòd locus purgatorij duplex est, Vnus est vniuersalis, scilicet secundum legem communem; & sic locus purgatorij est locus inferior, inferno coniunctus, ita q; idem sit ignis, qui damnatos cruciat in loco profundiori, & qui electos, & iustos purgat in purgatorio, qui est locus supra infernum damnatorũ. Vndè ignis inferni damnatorum distinguitur ab

igne purgatorij ſolùm in æternitate, nam damnatorū ignis eſt æternus, purgatorij verò ignis, quantum ad effectum purgationis, eſt temporalis, & ſolubilis. Alius eſt locus purgatorij particularis, ſ. ſecundum diſpenſationem Diuinam; & huiuſmodi locus variabilis, & multiplex eſt, inquantum Deus diuerſis diuerſa loca, ſecundum ſuum tribuit iudicium. & hoc facit Deus, vel propter eorum celeriorem liberationem, vt poſſint alijs ſuā indigentiam reuelare, (ſicut docet exemplum de Paſcaſio, quem Cyprianus Epiſcopus vir Sanctus in quibuſdam balneis inuenit, ad quæ iuerat ipſe Epiſcopus conſilio medicorum, & Paſcaſius iampridem mortuus, ibi puniebatur, & poſtmodum eius adiutorio liberatus eſt, ſigno dato eidem, ſi poſt trigeſimū diem inueniretur ibidem) vel propter noſtram inſtructionem, vt aliquando recogitemus magnam, poſt hanc vitam, pœnam peccantibus infligi; & vt, per hanc purgationem particularem, credamus purgatorium vniuerſale reperiri, & ibi electos perpurgari, qui in hoc mundo non ſatisfecerūt, ſed de hoc mundo cum aliquo reatu, vel veniali culpa deceſſerunt. Vndè, manifeſtum eſt, ꝙ poſt hanc vitā verè, & realiter reperitur purgatoriū, in quo animæ iuſtorū, debitū, per illū ignem, Soluunt, vt poſſint Deum per eſſentiam videre, in quā quidem Dei viſione, perfecta hominis beatitudo cōſiſtit, vt in ſuperioribus dictū fuit.

Vtrum

Vtrum pœna purgatorij sit maior quacunque pœna huius vitæ.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Th. in 4. sent. dist. 21. Q. 1. art. 1. quòd pœna purgatorij est duplex. Vna damni, inquantum scilicet animæ illæ retardantur via à diuina visione. Alia sensus, secundum quod ab igne corporali puniuntur; & quantum ad vtrunque, pœna purgatorij omnem huius vitæ pœnã excedit. Sed prius sciendum est, quòd quantum ad pœnam damni, animæ in purgatorio puniuntur, non quia ibi sit priuatio gloriæ, quæ tollat actum, & potentiam, quam habent damnati in inferno: sed quia ibi est priuatio gloriæ, quæ tollit solùm actum, & non potentiam, quia sperant futuram gloriam habere, quamprimum satisfecerint purgationi. quòd autẽ hæc sit maxima pœna, probatur. Quanto aliquid magis desideratur, tãto eius absentia est molestior, sed illud, quod desiderant animæ illæ existentes in purgatorio, est summũ bonum, s. Deus Opt. Max. ergo absentia actualis Dei nimis erit molesta animabus illis in purgatorio existentibus. & ideò de tardatione maximè dolent, quia terminus fruendi summo bono iam aduenisset, nisi aliquid impediret. Quantum autem ad pœnam sensus, similiter grauiter; & realiter punitur anima illa, quæ

igni purgatorij est annexa, supernaturaliter tamen, quia Deus, tanquàm instrumento suæ Diuinæ iustitiæ, igne per propriam eius actionem, ad purgandas animas, vtitur: sicuti etiam aqua baptismi est causa instrumentalis gratiæ. præterea, notandum est, quòd anima è corpore non potest pati, nisi ei vniatur modo aliquo, Vndè, quia anima vnitur corpori nostro patitur ab eo: afficitur enim lætitia, & mærore ex corpore. sicut ergo anima vnitur corpori, tanquam actus ipsum viuificans: ita supranaturaliter anima in inferno inferiori damnatorum & in purgatorio vnitur igni, non quòd ipsum viuificet, sed quòd ab ipso patiatur, & hoc loco detineatur, quòd naturaliter ab igne fieri non posset. nonnulli verò alij dicunt, quòd ignis potest considerari dupliciter. Vno modo vt res corporea, & hoc modo secundum suam naturam, nullam potest actionem in animam exercere. Alio modo quatenus est instrumentum Dei supranaturaliter operantis, & hoc modo potest agere in spiritum, quemadmodum aqua baptismi causa instrumentalis est gratiæ. Vndè dicendum est, quòd quamuis anima in purgatorio realiter pœnam sensus patiatur ab igne, per propriam eius actionem, tamen modo supra naturali, Deus illo vtitur igne ad animas electorum purgandas. Si quæratur vlterius, an animæ illæ deducantur ad illum locum pœnarum, ab Angelis, vel à Deo immediatè, re-

ſpondet Sanct.Th.quòd poſſibile eſt, quòd eas Angeli boni ad loca pœnarum deducant. dicit poſſibile, quia poteſt Deus ſua omnipotentia animas immediatè tales traducere in purgatorium: ſed multo certius, & conuenientius eſt, quòd tranſferantur per Angelos bonos, per quos ſubleuantur in Cælum, vt dicit Dom. Sot. in 4. ſent. diſt. 19. Q. 3. art. 2. quãuis D.Th. dicat probabiliter, quòd etiã dæmones animas deducunt ad pœnarum locum, de quarum viſu lætantur. ſed dicamus ſecundum D. Bonau. in 4. ſent. diſt. 20. art. 1. Q. 5. quòd pie credendum eſt, licèt non temere aſſerendum, quòd in egreſſu animæ à corpore, aſſiſtunt & ſpiritus bonus, & ſpiritus malus, vnus, vel plures: & ſi bona eſt, per miniſterium boni Angeli, vel adducitur in Cælum, vel in purgatorium, quouſque, poſtquàm purgata fuerit, per eius miniſterium educatur, ita quòd ipſe Angelus ſolùm ſit deductor, & non tortor. ſi verò ſit anima mala, per miniſterium Dæmonum deducitur ad infernum, ſcilicet ad pœnas ignis æterni patiendas. & ſic ex prædictis patet, quòd pœna purgatorij maior eſt quacunque pœna huius vitæ, & quòd magis rationabile eſt, animas deduci ad purgatorium per Angelos bonos, quàm per Dæmones, quia anima viri iuſti de illis in hac vita triumphauit.

DE EXTREMA VNCTIONE.

Vtrum extrema vnctio sit Sacramentum.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D.Th. in 4. sent. distin.23. Q.1. art. 1. quòd sic. nam sacramenta Ecclesiæ sufficienter subueniunt defectibus hominum in quocunque eorum statu, sed exeuntibus non subuenit aliud quam extrema vnctio, ergo ipsa est sacramentum. præterea, omnis spiritualis medicina valens ad remissionem peccatorum, est sacramentum, sed extrema vnctio est quædam spiritualis medicina, quæ valet ad remissionem peccatorum, ergo extrema vnctio est sacramentum. minor patet. dicitur enim Iacob.5. infirmatur aliquis in vobis inducat præsbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccato fuerit dimittetur ei: in quo etiā ostenditur, duplici ex causa, hoc Sacramentum à Christo fuisse institutum (promulgatum verò à Iacobo, & ab alijs Apostolis) scilicet ad peccatorum remissionem, & ad corporalis infirmitatis alleuiationem. Vndè, constat eum, qui hanc vnctionem fideliter deuoteq; percipit, & in corpore, & in anima alleuiari, in anima quidem per se, in corpore verò per accidens, scilicet si expedit, vt infirmus

in cor-

in corpore alleuietur. patet itaquè, quòd extrema vnctio eſt Sacramentum.

Vtrum hoc Sacramentum debeat iterari.

RESOLVTIO.

D*Icendum eſt ſecundum D.Th.in 4.ſent.diſt.23. Q.2. art.4. & Magiſt. ibidem diſt. 23. quòd ſic. nam ſicuti ſacramentum altaris, pœnitentiæ, & coniugij ſæpè iterantur: quia ſæpè ſacramentum corporis percipitur, frequenter pęnitentia agitur, coniugium ſæpè contrahitur: ſimiliter etiam extrema vnctio iterari poteſt, quia ſæpè morbus reuertitur. Sacramentum verò baptiſmi, confirmationis, & ordinationis nullatenus ſunt repetenda: quia ſemel tantùm, & non ſæpius datur baptiſmus, confirmatio, & ordinatio. præterea ſacramentum, quod habet effectum non perpetuum, poteſt, ſine ſui iniuria, iterari: ſed ſanitas corporis, & mentis, quæ ſunt effectus huius ſacramenti, poſſunt amitti, poſtquàm fuerunt per ſacramentum effecta, igitur hoc ſacramentum ſine ſui iniuria iterari poteſt. & ſic, omnia clara, & manifeſta ſunt.*

DE ORDINE.

Vtrum ordo ſit Sacramentum.

RESOLVTIO.

D*Icendum eſt ſecundum D.Thom.in 4.ſent.diſtin. 24. Q.1. art.1. quòd ſic. nam propter*

quod vnumquodque tale, & illud magis, teste Philosopho in 1. post. sed propter ordinem fit homo dispensator aliorum Sacramentorum, ergo ordo congruentiùs dicitur sacramentum, quàm alia. præterea, sacramentum nihil aliud est quàm quædam sanctificatio homini exhibita, cum aliquo signo visibili: Vndè, cùm in susceptione ordinis, quædam sanctificatio homini, per visibilia signa, exhibeatur, constat ordinem esse Sacramentum. & sic omnia plana sunt.

Vtrum septem sint ordines.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum Magist. sent. in 4. distin. 24. quòd septem sunt spiritualium officiorum gradus, siue ordines Ecclesiastici, scilicet ostiarij, Lectores, Exorcistæ, Acolithi, Subdiaconi, Diaconi, & Sacerdotes, quorum omnia officia, Christus in semetipso ostendit, & corpori suo, (scilicet Ecclesiæ) eosdē ordines obseruandos reliquit. Sunt autem septem propter septiformem gratiam Spiritussancti, cuius qui non sunt participes indignè ad gradus Ecclesiasticos accedunt: qui verò priusquàm ad hos ordines accedant, hanc gratiam habent, in ipsa promotione, ampliorem recipiunt gratiam. Septem igitur, (vt dictum est) sunt ordines Ecclesiastici, quorum figuras, officia, modos ordinandi, & institutiones facilè diligens lector in*

4. sent.

4. sent. dist. 24. videre poterit: nam ego huiusmodi rationes, breuitatis causa omitto. Ostiarij enim dicuntur, eo quòd præsunt ostijs Templi, vt dignos recipiant, & indignos excludant. Lectores verò dicuntur à legendo, qui etiam pronunciatores vocantur, quia tam debet esse clara eorum vox, vt etiam longe positorum aures adimpleat. Exorcistæ autem adiurantes, vel increpantes vocantur: adiurant enim illum, qui spiritum habet immundum, vt in nomine Domini Egrediatur ab illo. Acolythi verò ceroferarij dicuntur, à deportandis Cereis, quando legendum est Euangelium, vel sacrificium offerendum. Subdiaconi autem ideò ita dicuntur, quia subiacent præceptis, & officijs Diaconorum: Diaconi verò dicuntur Ministri, quia sicut in Sacerdote consecratio, ita in Diacono ministerij dispensatio habetur; ad eos enim pertinet assistere Sacerdotibus, & ministrare in omnibus, quæ aguntur in Sacramentis Christi, & eis competit prædicare Euangelium Christi. Presbyter senior dicitur, non modò pro ætate, vel decrepita senectute, sed propter honorem, & dignitatem, quam acceperunt, presbyteri nominantur, qui morum prudentia, & maturitate conuersationis præcellere dicuntur in populo. Præsbyteri etiam Sacerdotes vocantur, quia Sacra dant, vel Sacri duces dicuntur. Sicuti enim Rex à regendo, ita Sacerdos à sanctificando dictus est, consecrat enim, & sanctificat

ficat Corpus Christi. Vndè ad Sacerdotem pertinet Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini Nostri Iesu Christi in altari conficere, orationes dicere, & Dona Dei benedicere. & sic manifestum est, quòd septem sunt ordines Ecclesiæ, & non plures, nec pauciores; de quibus, pleniorem cognitionem habuerit diligens lector in 4. sent. dist. 24. vt dictum est, nam omnia singulariter ibi à Magist. pertractantur.

DE MATRIMONIO.

Vtrum Matrimonium sit Sacramentum.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D.Tho. in 4. sent. dist. 26. Q. 2. art. 1. quòd sic. nam omne remedium contra peccatum institutum est Sacramentũ, sed Matrimonium est remedium institutum contra peccatum, vt dicit Apost. 1. ad Cor. 7. propter fornicationem vnusquisque suam vxorem habeat, ergo est Sacramentum. præterea, Matrimonio competit generalis ratio sacramenti, q̃ est, ꝙ sacramentum est sacræ rei signum, vt dicit Magist. in 1. dist. 4. libri sent. matrimoniũ enim significat coniunctionem Christi, & Ecclesiæ: Vnde, Apostolus loquens de matrimonio Eph. 5. dicit Sacramentum hoc magnum est, ego autem di-

co

eo in Christo, & in Ecclesia, ergo Matrimonium verè, & realiter est Sacramentum nouæ legis.

Vtrum matrimonium fuerit ante, vel post peccatum institutum.

RESOLVTIO.

Dicendum est Secundum Magist.in 4.sent. dist.in 26.& Bonau.ibidem, quòd duplex est institutio. Vna ante peccatum ad officium, & hæc facta est in paradiso, vbi erat Thorus immaculatus, & nuptiæ honorabiles, ex quibus sine ardore conciperent, & sine dolore parerent. Altera facta est post peccatum extra paradisum, propter illicitum motum deuitandum. Prima ad effectum naturæ multiplicandæ. Secunda ad remedium concupiscentiæ. item prima fuit in præceptum necessitatis. Secunda fuit voluntaria à tempore multiplicationis generis humani, & est accipienda secundum indulgentiam: indulgentia autem tripliciter accipitur quandoque pro remissione, quandoque pro confessione, quandoq; pro permissione, hic autem pro permissione accipitur: permittitur enim coniugium, non quasi malum, sed quasi minus bonum. Præterea, D.Th.in 4.sent.dist.26. Q.2.art.2. inquit, quòd Matrimonium, inquantum ordinatur ad procreationem prolis, quæ erat necessaria etiam peccato non existente, institutum fuit ante peccatum. Quatenus autem remedium

præbet

præbet contra vulnus peccati, institutum fuit post peccatum, tempore legis naturæ. Secundũ autem determinationem personarũ, institutum fuit tempore legis Mosaycæ. Sed secundum quòd represen tat mysterium coniunctionis Christi, & Ecclesiæ, habuit institutionem in noua lege; & ideò, secundum hoc dicitur Sacramentum nouæ Legis. Vndè, manifestum est, quòd & ante, post peccatum, Matrimonium institutum fuit, diuersimodè tamen, vt dictum est.

Vtrum consensus per verba de præsenti expressus, sit causa efficiens matrimonij.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum Magist. in 4. sent. dist. 27. & D.Th. ibidem Q. 1. art. 2. & Dur. ibidem. Q. 1. quòd solus consensus per verba de presenti expressus matrimonium facit, vt ego accipio te in virum, & ego te in vxorem. Si verò consentiant mente, & non exprimant verbis, vel alijs certis signis, tunc talis consensus occultus non facit matrimonium. quòd autem hoc verum sit, probatur sic: Matrimonium Sacramentum quoddam est; sed in omni Sacramento requiritur aliquod sensibile signum, ergo & in matrimonio, & ita oportet ibi saltem esse verba, consensum sensibiliter exprimentia. Vndè, (vt etiam dicitur 27. Q. 2. c. sufficiat) manifestum est, quòd*

solus

solus consensus per verba de præsenti expressus matrimonium facit. quod quidem matrimonium, secundum Mag. est viri, & mulieris maritalis coniunctio inter legitimas personas indiuiduam vitæ consuetudinem retinens.

Vtrum Matrimonium per verba de futuro, sit verum, & ratum Matrimonium.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Magist. in 4. sent. dist. 28. & D. Bonau. ibidem art. 1. Q. 1. quòd consensus non facit matrimonium, nisi exprimatur per verba de præsenti, vt dictum est. si enim exprimatur per verba de futuro, in rei veritate non est consensus sed promissio de consentiendo: ideò qui dicit se consentire, non dum consentit, sed se consensurum promittit: Vndè, cùm ibi non sit consensus, ergo nec matrimonium, sed vel obligatio, vel sponsalia dici debent. præterea, extra de sponsalibus. c. si inter virum, habetur, quod si inter aliquos verba interuenerint de futuro, vtroque dicente alteri: ego accipiam te in meam, & ego accipiam te in meum, vel similia verba: si alter postmodum cum altera per verba de præsenti contraxerit, non debent separari, etiam si inter ipsam, & primum iuramentum interuenerit, sed de fide mentita ei est pœnitentia iniungenda. & ideò hinc elicimus, quòd iuramentum non est de

sub-

ſubſtantia matrimonij, vt etiam dicitur à Magiſt. loco citato. patet igitur, quòd Matrimonium per verba de futuro non valet, niſi ſubſequatur conſenſus de præſenti.

Vtrum fides, proles, & ſacramentum ſint tria bona coniungij.

RESOLVTIO.

D*Icendum eſt ſecundum Magiſt. in 4. ſent. diſt. 31. & D. Th. ibidem Q. 1. art. 2. & Bonau. ibidem art. 1. Q. 1. ꝙ fides proles, & ſacramentum ſunt verè tria bona matrimonij. in fide enim attenditur, ne poſt vinculum coniugale cum alio, vel cum alia coeatur. in prole, vt amanter ſuſcipiatur, & religioſè educetur. in Sacramento autem, vt coniugium non ſeparetur, nam ex aliqua cauſa ſeparatur corporaliter, nunquàm tamen Sacramentaliter. & ſic patet, quòd fides, proles, & Sacramentum ſunt tria bona coniugij.*

Vtrum error impediat matrimonium.

RESOLVTIO.

D*Icendum eſt ſecundum Magiſt. in 4. ſent. diſt. 30. & D. Th. ibidem Q. 1. art. 2. quòd error eſt quadruplex, primus eſt error perſonæ, quando ſ. hic putatur eſſe Antonius, & eſt Paulus, ſecundus eſt error conditionis, quando. ſ. putatur eſſe liber, qui ſeruus eſt. Tertius eſt error fortu-*

næ,

næ, quando scilicet putatur hic esse dives, qui pauper est, vel è converso. Quartus verò est error qualitatis, quando. s. creditur esse bonus, qui malus est, vel pulcher, qui deformis. & ideò non omnis error impedit matrimonium, sed tantùm primi duo, s. personæ, & conditionis. ratio est, quia matrimonium duo includit, scilicet personas, quæ coniunguntur, & mutuam potestatem ad inuicẽ, in qua matrimonium consistit: primum igitur tollitur per errorem personæ: secundum verò per errorem conditionis; quia seruus non potest potestatem sui corporis alteri tradere sine consensu Domini sui: & propter hoc, hi duo errores matrimonium impediunt, & non alij.

Vtrum post consensum legitimum de præsenti, licitum sit alteri, altero inuito, eligere monasterium.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum D. Th. in 4. sent. dist. 27. Q. 1. art. 3. & Dom. Sot. ibidem Q. 1. art. 4. quòd ante matrimonij consummationẽ vtrique coniugum altero inuito, licitum est ad religionem transire; ratio huius est, quia ante copulam carnalem est inter coniuges tantùm vinculum spirituale, sed postmodum est inter eos etiam vinculum carnale: & ideò sicut post carnalem copulam, matrimonium per carnalem soluitur mortẽ:*

ita

ita similiter per ingressum religionis, ante copulã carnalem, matrimonium per spiritualem soluitur mortem, nam religio est mors quædam spiritualis, qua aliquis sæculo moriens, viuit Deo. & hoc cõfirmatur per D. Bonau. in 4. sent. dist. 27. art. 3. Q. 2. & per capit. Verum, de conuers. coniug. quo in loco habetur, quòd si aliqui per consensum mutuum de præsenti matrimonium contraxerint, antequam sint carnaliter coniuncti, potest alter religionem intrare, altero inuito: & ille qui remansit in seculo poterit matrimonium contrahere, cùm non dum sint vna caro effecti. sed posset quispiam in contrarium opponere per illud Diuinum præceptum, Quos Deus coniunxit homo non separet, ergo post consensum legitimum de præsenti, matrimonium solui non potest: ad quod respondetur, quòd illud dictum Diuinum, scilicet Quos Deus coniunxit homo non separet, communiter debet intelligi de matrimonio consumato, eo quòd per copulam fiunt duo in carne vna. sed melius dicendum est, quòd per ingressum religionis matrimonium non separatur ab homine, sed à Deo, per internam inspirationem, nam etiam religio est quodammodo quoddam spirituale vinculum coniugale. Vndè, quamuis ante consumationem sit verum matrimonium Sacramentale, & indissolubile per homines, est tamen solubile Dei instinctu, nam propter maius bonum potest quili-

bet

bet minus bonum derelinquere. patet igitur, ꝙ ante matrimonium consumatum, poteſt alter coniugum, etiam altero inuito, religionem ingredi, & remanens in ſeculo poterit matrimonium contrahere, vt dictum eſt.

Vtrum alter coniugum, etiam poſt carnalem copulam, poſsit ingredi religionem.

RESOLVTIO.

DIcendum eſt ſecundum D. Tho. in 4. ſent. diſtin. 27. Q. 1. art. itidem. 3. quòd ſic, ſed de mutuo conſenſu. nam nullus poteſt facere obligationem Deo de alieno: ſed cùm per matrimoniū conſumatum iam ſit corpus viri factum vxoris, non poteſt, abſque conſenſu ipſius, Deo ipſum offerre per votum continentiæ: nam, (vt dicit Apoſt. 1. ad Cor. 7.) Mulier ſui corporis poteſtatem non habet: ſed Vir. ſimiliter autem & vir, ſui corporis poteſtatem non habet: ſed mulier. præterea, extra de conuerſ. coniug. c. cùm ſis, habetur ſimiliter, ꝙ poſt conſenſum, & copulam carnalem nec vir, nec vxor poteſt religionem ingredi, niſi ambo Deo ſeruire velint, ſi autem mulier fuerit ſenex, & caſtitatē promiſerit, poterit vir ad religionem tranſire, vxore in ſeculo remanente. patet itaquè, quòd alter coniugum, ſimpliciter loquendo, poſt carnalem copulam, ſine reliquo ad religionem tranſire non poteſt.

DE RESVRRECTIONIS, ET IVDICII CONDITIONE.

Vtrum resurrectio generalis omnium hominum sit futura.

RESOLVTIO.

DIcendum est secundum Mag. sent. in 4. distin. 43. & D.Th. ibidem. Q. 1. art. 1. & Bonauent. ibidem art. itidem. 1. Q. 1. & Scotum, loco citato. Q. 1. quòd, resurrectionem carnis generalem esse futuram omnium quicunque nati sunt, atq; nascentur, & mortui sunt, & morientur, nullatenus ambigere debet Christianus. ait. n. Apost. 1. ad Cor. 15. omnes resurgemus. & suprà in eodem capit. Sicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Christo omnes viuificabuntur. & 1. ad Thessalonic. 4. Nolumus vos ignorare, fratres, de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent, scilicet resurrectionis. si enim credimus, quòd Iesus mortuus est, & resurrexit, ita & Deus, eos, qui dormierunt per Iesum adducet cum eo. Vndè sicuti credimus, quod Christus, qui est caput, tertia die resurrexit, similiter credere, & affirmare debemus, quòd, & nos, qui sumus membra ipsius Christi, resurgemus. præterea, membra debent esse capiti conformia, sed caput nostrum viuit, & in æternum viuet, in corpore, &

re, & anima, quia Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, vt pat. Rom. 6. ergo etiam homines, qui sunt eius membra in corpore, & anima viuent, & æternaliter manebunt. & per consequens, oportet generalem carnis resurrectionem esse futuram, vt dictum est.

Vtrum possit idem homo resurgere.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundũ Dur. in 4. sent. dist. 43. Q. 1. quòd non solùm possibile est, quòd homo idem numero resurgat, sed etiam hoc erit in rei veritate; (vt in alia Quæstione ostendam, quæ erit de facto, nam impræsentiarum tantùm loquor de possibili, quia hoc videtur esse præter ordinem naturæ) quòd igitur hoc sit possibile, probatur sic. manentibus principijs essentialibus rei corruptæ, scilicet materia, & forma eisdem secundum numerum, & agente, quod potest illa vnire, possibile est rem corruptam eandem numero reparari, sed corrupto homine remanent principia essentialia eiusdem hominis eadem, scilicet materia, & forma, & Deus, qui potest illa vnire, ergo Homo corruptus potest idem in numero reparari. præterea, Deus potest omne, quod non implicat contradictionem, formam autem vniri materiæ non implicat contradictionem, imò habet magnã aptitudinem, cùm forma sit de se nata perficere materiam, &

materia sit de se nata perfici à forma, ergo Deus Opt. Max. potest eundem hominem in eadem anima, eodemq́; corpore viuificare, & per consequens idem homo resurgere potest. minor primæ rationis probatur, quia corrupto homine remanet materia, quæ (vt dicit Arist.) est ingenerabilis, & incorruptibilis, & anima rationalis, quæ est incorruptibilis, & sola forma hominis substantialis, ergo &c. Secunda ratio de se manifestissima est. quòd autem anima nostra rationalis sit incorruptibilis, & immortalis, patet, quoniam differt ab animabus brutorum, & ab aliјs formis corporalibus. Anima enim nostra non generatur ad generationem hominis, sed creatur, quia non educitur de potentia materiæ; reliquæ verò cùm educantur de potentia materiæ, licet non generentur, tamen congenerantur ad generationem suppositi, & pariter corrumpuntur ad corruptionem illius. quòd animæ brutorum educantur de potentia materiæ, patet per illud gen. producat terra animam viuentem. quòd nostra similiter non educatur de potentia materiæ patet similiter per illud gen. & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ. patet igitur, quòd potest idem homo resurgere, & per consequens resurget, vt infrà patebit.

Vtrum resurrectio sit naturalis, vel supernaturalis.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D. Bonau. in 4. sent. dist. 43. art. 1. Q. 5. quòd in resurrectione tria consideranda sunt. primum est corporis ex pulueribus reformatio. secundum, animæ vnio ipsi corpori reformato. Tertium verò est animæ, & corporis inseparabilis colligatio. primum est contra naturam, id est contra solitũ cursum naturæ, quæ potest perfecta destruere, non autem destructa reparare. secundum est secundùm naturam, quod anima scilicet corpori sibi organizato, cui desiderabat vniri, vniatur. Tertium est supra naturam, scilicet quòd compositum corruptibile fiat immortale, & incorruptibile, & inseparabile. sed quia primum, & vltimum est supra naturam, secundum verò naturale, dicendum est, quòd simpliciter resurrectio erit supernaturalis, secundum quid verò naturalis. vel dicamus secundum Scotum in 4. sent. dist. 43. Q. 4. quòd resurrectio potest considerari dupliciter. Vno modo ex parte passi, vel recipientis. & sic resurrectio erit naturalis, quia materia naturalem habet inclinationem ad recipiendam quamcunq; formam: Vndè nota, quòd naturale tripliciter capitur. Vno modo, scilicet vt contradistinguitur ab agente supernaturali. Secun

do, vt distinguitur contra agens secundum propositum, id est contra agens liberum, quod agit secundum voluntatem. Tertio modo capitur naturale, vt distinguitur contra violentum, & sic respicit passum, puta ipsam materiam. natandum est vlterius; quòd omne agens supernaturale est etiam agens secundum propositum, cuiusmodi est Deus, sed non è contra omne agens secundum propositum est agens supernaturale, quia homo est agens liberum, non tamen supernaturale: Quando igitur dicebatur quòd resurrectio est naturalis, accipiebatur naturale tertio modo, scilicet vt opponitur violento, quia tale passum ad talem formam naturaliter inclinatur. Alio modo considerari potest resurrectio ex parte agentis. & sic simpliciter erit supernaturalis, quia fiet ab agente supernaturali, & libero nempe à Deo Opt. Max. qui viuificabit mortalia corpora nostra. patet igitur, quòd resurrectio simpliciter erit supernaturalis, secundum quid autem erit naturalis, vt dictum est.

Vtrum omnes mortui resoluantur in cineres, antequàm resurgant.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D. Tho. in 4. sent. distin. 43. Q. 1. art. 4. & Dom. Sot. ibidem. Q. 2. art. 5. quòd cuncta humana corpora omninò vsq; ad elementa resoluentur. Ad cuius probationem

præsup-

præsupponere debemus hominem constare ex anima, & corpore. corpus verò ex ossib°, neruis, &c. quæ sunt partes diuersarum rationum, ac demum partes illæ constant ex elementorum commixtione; & cùm hoc verum sit. debemus primò dicere, q̃ homo moritur, iuxta illud Apost. statutum est hominibus semel mori, qui quidem homo moritur per separationem animæ à corpore, quod restat, vt cadauer, mox per plurimas transmutationes, tandem resoluitur in elementa, quia, vt 3. physic. habetur, quicquid ex contrarijs constat, in ea tandem reducitur. confirmatur etiam hoc, per illud gen. terra es, & in terram ibis: omnes ergo mortui resoluentur in cineres, antequam resurgant. Vndè, colligitur, quòd ex debito iustitiæ, in pœnam originalis culpæ, non tantùm mors nobis decreta est, quæ est animæ à corpore separatio, verùm & corporis resolutio vsq; ad terram, & alia elementa, ex quibus commixtum est. præterea, in 8. phys. habetur, quòd motus Cœli est vt vita quædã omnibus natura existentibus, sicuti etiam motus cordis totius corporis quædam vita est; Vndè sicut cessante motu cordis omnia membra mortificantur, ita cessante motu Cœli, non potest aliquid viuum remanere in illa vita, quæ ex influentia illius motus conseruabatur: & ideò oportet quòd ex hac vita discedant, qui post motum Cœli quiescentem victuri sunt. Resoluentur ergo omnes in præia-

centem materiam, præter Christum, qui vt nullo fuit attactus peccato, ita nec vlli fuit peccati legi obnoxius: & præter illos, qui illo priuilegio dotati sunt, vt nō incinerarentur, cuiusmodi Enoch, & Eliæ indultum fuit, & Deiparæ virgini piè creditur etiam concessum, quæ nec veniale, nec mortale peccatum habuit ex speciali priuilegio, nec originale contraxit, vt volunt Scotistæ, qui dicunt ipsam fuisse speciali priuilegio præseruatam; quamuis aliter sentiant Thomistæ, qui dicunt ipsam virginem, operatione Spiritus Sancti, ab originali culpa fuisse mundatā. Sed posset quis (non recedendo à Quæst.) dubitare de illis, qui viui reperientur in fine mundi, an in pulueres resoluantur, ad quod respondeo secundum D.Th. loco citato in respons. ad 3. secundæ Quæst. quòd ille ignis, qui faciem mundi purgabit, poterit statim corpora illorum, qui viui inuenientur, vsque ad cineres resoluere, sicuti etiam alia mista resoluet in præiacentem materiam; ratio debet esse ista, quoniam secundum sacram scripturam omnes debent resurgere, resurrectio autem propriè non est nisi eius, quòd cecidit, & dissolutum est, ergo dicendum est, quòd omnes resoluendi sunt in cineres, antequàm in iudicium resurgant.

Quæritur

Quæritur quomodo intelligatur Christus Iudex viuorum, & mortuorum.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Magist. in 4. senten. 43. quòd hoc dupliciter intelligi potest, vel corporaliter, vel spiritualiter: si corporaliter, tunc viui accipiuntur qui in aduentu eius viui reperientur, quamuis in raptu moriantur. & mortui accipiuntur, qui ante decesserant: si autem spiritualiter intelligatur, tunc per viuos, & mortuos debemus intelligere iustos, & iniustos. & meo iudicio, puto, quòd illud dictum debeat hoc secundo modo intelligi.s. spiritualiter: ratio potest esse ista, quia, (vt dictum est) omnes morientur, antequàm in iudicium resurgant, ergo non iudicabuntur viui, antequàm moriantur, & iterum resurgant. per viuos igitur debemus intelligere illos, qui iudicabuntur ad vitam æternam; isti enim propriè dicuntur viuere. per mortuos verò similiter debemus intelligere illos, qui s. in ignem æternum iudicabuntur, quia verè erunt mortui æterna morte, quæ quidem mors nihil aliud est, nisi priuatio luminis gloriæ æternæ, quam peccatores in igne æterno æternaliter habebunt.

Vtrum idem prorsus homo in eodemq; corpore, quo vixerat, sit resurrecturus.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum. D.Th.in 4.sent.dist. ipse 44. Q.1. art.1. & Dom. Sot. ibidẽ. Q.1. art.1.ꝙ idẽ homo,qui per mortem cecidit est in vitam resurrecturus. Hæc conclusio,non tantùm scolastica est,sed tanquàm articulus fidei constituitur. idem enim articulus, quem de resurrectione confitemur, intelligitur de resurrectione eiusdem hominis. si enim non idem Lazarus, qui obierat, resurrexisset, illa non fuisset Lazari resurrectio, sed substitutio vnius pro alio, quòd omninò falsum est. dicit enim Iob 19. Scio quòd Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra resurrecturus sum, & rursum circundabor pelle mea,& in carne mea videbo Deum. Quo circa, (vt dicit Th.) qui eundem hominem resurrecturum negat hæreticus est censendus, ac si resurrectionem diffiteretur. præterea, si ad finem, ad quem homo factus est, peruenire non posset, frustra esset homo factus; Deus autem nihil frustra facit: igitur oportet quòd idem homo numero resurgat, & consequenter ad finem perueniat, propter quem factus est: & hoc quidem fit dum eadem anima numero eidem corpori numero coniungitur, aliàs enim non esset propriè resurrectio, nisi idem homo

repara-

repararetur. Vndè, penitus, & ex necessitate dicere debemus, & firmiter credere, quòd idem prorsus homo numero, in eodem s. corpore numero & anima eadem numero resurrecturus sit.

Vtrum omnes in ætate Iuuenili resurgent.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Magist. in 4. sent. dist. 44. & D. Thom. ibidem Q. 1. art. 3. & Dom. Sot. ibidem art. 4 quòd omnes in eadem ætate resurgent, in qua Christus mortuus est, & resurrexit, scilicet in ætate iuuenili, ad quam Christus peruenit. Triginta enim trium annorum, & trium mensium erat ætas Christi. Mensuram verò corporis suam recipiet vnusquisque, quam vel habuit in iuuentute, etiam si senex obijt, vel fuerat habiturus, si ante est defunctus. Vndè, homo resurget absque omni defectu humanæ naturæ: quia sicut Deus humanam naturam absque omni defectu instituit, similiter sine defectu reparabit. deficit autem humana Natura dupliciter. Vno modo, quia non dum perfectionem vltimam est consecuta. Alio modo, quia ab vltima perfectione iam recessit. primo modo deficit in pueris. Secundo verò modo deficit in senibus: & ideò in vtrisque reducetur humana natura, per resurrectionem, ad statum vltimæ perfectionis, qui est in iuuenili ætate, iuxta illud Apost. ad Ephes.

ad Ephes.4. Donec occuramus omnes in virũ perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi. & sic patet, ꝙ omnes in ætate iuuenili resurgent.

Vtrum animabus, post mortem, receptacula sint assignanda.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum D. Th. in 4. sent. dist. 45. Q. 1. art. 1. 2. & 3. & Dom. Sot. ibidẽ Q. 1. art. 1. & 2. quòd Quinque ab orbe condito fuerunt animarum receptacula: s. Cœlũ Empyreũ, infernus, purgatorium, limbus puerorum, & limbus patrum. in primo receptaculo, reperitur summa fœlicitas, & summa beatitudo. in secundo, æterna pœna ignis, & Damni. in Tertio verò, pœna ignis temporalis, & damni, sed solubilis. in Quarto autem reperitur pœna Damni æterna, scilicet priuatio visionis Diuinæ, quæ ibi tollit actũ, & potentiam. in Quinto, & vltimo receptaculo, reperiebatur tantùm pœna Damni solubilis. primum ergo receptaculum, quod est Cœlum Empyreum, fuit, est, & erit post iudicium vniuersale. Secundum verò, quod est infernus Damnatorum, fuit similiter, est, & erit post iudicium. Tertium, quod est purgatorium etiam fuit, est, sed non erit post iudicium vniuersale. Quartum autem, quod est limbus puerorum, similiter fuit, est, & erit post diem iudicij. Quintum verò receptaculum,*

quod

quod est limbus patrum, fuit ante aduentũ Christi, sed non est, nec erit amplius, quoniam per Christi descensum ad inferos, solutum fuit. Si autem nos finem, ad quem Angeli, & homines creati sunt, contemplemur, non nisi vnicum receptaculũ omnibus proposuit: nempè Cœlum: Nam has duas creaturas eo fine condidit, vt suam ipsius fœlicitatem eis in Cœlo impertiret, sed tamen per occasionem si fortè à sua lege, & voluntate deuiarent, infernum præparauit, in quo mali igne puniuntur æterno. & quoniam Angelus primus fuit transgressor, ideò Deus ignem æternum, ab initio mundi, paratum esse voluit Diabolo, & Angelis eius: (eo quòd peccatum Angelorum irremediabile fuit, vt dicit Magist. in 2. sent. dist. 21.) Homines verò adulti si sine pœnitentia decedunt, etiam ipsi in illum ignem æternum descendunt. Sed si homines peccauerint, & egerint pœnitentiam, poterunt sine dubio illum cauere locum. Duo ergo hæc sunt extrema receptacula, alterum summa fœlicitas, alterum verò summa miseria plenum. peccatum verò primorum parentum tria nobis ostendit alia receptacula media. nam cùm post illam præuaricationem cuncti mortales cum peccato originali nascantur, neque vlli vnquam, nisi per fidem Christi, patuerit salus, necesse est, vt paruuli extra vsum. f. rationis existentes, neq; in consortium filiorum Dei admittantur, neque

verò, cùm nullum actuale crimen cõmiserint, inter summos eius inimicos deputentur; sed si olim moriebantur sine fide, vt in statu naturæ, vel sine circuncisione, vt in statu legis, vel sine baptismo, vt in statu præsenti, ad limbum determinati sunt. in quo limbo (vt dictum est) reperitur priuatio luminis gloriæ æternæ, quæ alio modo vocatur pœna Damni, non autem reperitur ibi pœna sensus, scilicet ignis inferni: & hoc rationabiliter, cùm par uuli non habeant peccatum ex se, sed à primis parentibus decisum, s. ex necessitate in ipsis (licet in primis parentibus fuerit voluntarium) non autem ex voluntate eorum libera, cum careant liberi arbitrij vsu. Rursus, quia ingressus Cæli nemini conceditur, nisi purgata sit quæcunque macula, vel reatus pœnæ, vel venialis culpæ, fit, vt non solùm inimici Dei ab introitu Cæli prorsùs excludantur: verùm & amici, dum perpurgantur, remorentur; quibus ideò purgatorij locus assignatus est, in quo quidem purgatorio tantùm pœna sensibilis reperitur, cum spe videndi Deum. Tandem cùm ante peractam per Christum redemptionem, nemini apertum esse potuerit Cælum, adhibitum est Quintum receptaculum, in quo, Patres olim, qui saluabantur, recipiebantur, quod quidem receptaculum. & sinus Abrahæ, & limbus patrum appellabatur; nam quatenus Sancti patres certa spe recreabantur possidendæ regni hæreditatis,

tis, sinus Abrahæ appellabantur; inquantum verò aliquid eis actu requiei deerat, (quia nondum visione Dei fruebantur) dicebatur limbus inferni. post Christi verò mortẽ, resurrectionẽ, & ascensionẽ sinus Abrahæ Cœlestis Paradisus est. præterea, notandum est ꝙ patres fuerunt in parte superiori, & paruuli sunt in parte inferiori: nam limbus puerorum est inferior locus subterraneus, limbus verò patrum erat locus superior; & ratio huius est, quia paruuli habent carentiam visionis Diuinæ sine expectatione, patres verò habebant illam cum expectatione, & ideò debuit ille esse limbus in parte superiori. patet igitur, quòd infernus Damnatorum infimus omnium est, in quo adest & pœna sensus, scilicet ignis æternus, & pœna damni, scilicet priuatio gloriæ æternæ. purgatorium verò est superius illi coniunctum, in quo adest pœna sensus temporalis, sed non pœna damni simpliciter, sed solùm secundum quid, inquantum. s. animæ illæ, in purgatorio existentes, retardantur à Diuina visione, propter aliquem reatũ, qui per illum ignem soluitur. Vndè, notandum est, quòd idem est ignis, qui peccatores æternaliter cruciat, & qui electos temporaliter purgat, vt supradictum est. limbus autem puerorum, proximè superior est, & iste includit tantùm pœnam damni æternam, sed non sensus. limbus verò patrum fuit locus supremus, in quo reperiebatur pœ-

na Damni, scilicet carentia visionis Diuinæ cum expectatione, sed non pœna sensus, nempe ignis corporalis. & sic, de receptaculis animarum dicta sint satis.

Vtrum statim post mortem, animæ deducantur ad Cœlum, vel ad infernum.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum D. Th. in 4. sent. dist. 45. Q. 1. art. 1. quòd sic. nam sicuti in corporibus est grauitas, vel leuitas, qua feruntur in locum suum, qui est finis motus ipsorum: ita etiã similiter est in animabus nostris meritum, vel demeritum, quibus animæ perueniunt ad præmium, vel ad pœnam, quæ sunt finis actionum ipsarum: Vndè sicuti corpus per grauitatem, vel leuitatem, statim fertur in locum suum, nisi prohibeatur; ita statim animæ, soluto vinculo carnis, per quod in statu viæ detinebantur, præmium consecuntur, vel pœnam, nisi aliquod impedimentum reperiatur: sicuti interdum impedit cõsecutionem præmij, peccatum veniale, vel aliquis reatus, qui prius purgari debet in igne purgatorij, ex quo sequitur quòd præmium differatur. & quia locus deputatur animabus secundum congruentiam præmij, vel pœnæ, statim vt anima à corpore absoluitur, vel in infernum demergitur per culpam mortalem, vel in Cœlum euolat per gratiam, nisi impediatur ali-*

quo

quo reatu, quo oportuit euolationem differri, vt prius anima purgetur. & sic manifestum est, quòd finaliter post mortem, animæ deducuntur ad Cælum, vel ad infernum.

Vtrum ignis inferni sit corporeus.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum Magist. in 4. sent. dist. 44. & Th. ibidem Q. 3. art. 2. & D. Bonauent. ibidem, & Dur. loco citato, q ignis inferni est corporeus, nam vt dicitur Sap. 11. per quæ quis peccat, per hæc & torquetur: sed omnes homines peccant per res corporeas, & sensibiles huius mundi, ergo iustum est, vt per easdem puniantur. præterea, pœna reproborum debet proportionabiliter respondere præmio bonorum, sed beati non solùm præmiabuntur in anima, sed etiam in corpore; ergo mali non solùm in anima, sed etiam in corpore punientur; sed ignis nisi esset corporeus, non affligeret corpora Damnatorum: ex quo ergo ignis necessariò ponitur per auctoritatem scripturæ, qui cruciabit damnatos, conuenientius est ponere ipsum esse corporeum, (cùm talis ignis ex se habeat corpus sensitiuum affligere) quàm fingere nouum ignem incorporeum, & nouam afflictionē. Vlterius, oppositorum eadem est scientia, sicuti ergo illud Mat. 25. Venite benedicti patris mei &c. ad literam intelligitur; ergo similiter illud, quod*

ſequitur, nempè Ite maledicti in ignẽ æternũ, &c. debet ad literam intelligi; igitur ignis inferni eſt corporeus; & ſecundum quod dicit Dom. Sot. in 4. Sent. diſt. 45. Q. 1. art. 1. ille ignis non eſt purè elementarius, ſed ſulphure miſtus multoque ardentior noſtro, propter terram, qua vndique cingitur, nec nutritur conſumptibili eſca, quoniam nec animas nunc, nec corpora tunc conſumet. & ibi manet non per naturam, ſed diuinitùs per ordinem diuinæ iuſtitiæ tenetur. patet itaq; ꝙ ignis inferni eſt corporeus, & eiuſdem ſpeciei cum iſto quem videmus: quamuis materia ſit fortè diuerſa, vt dictum eſt; qui quidem ignis eſt æternus, i. perpetuò crucians, Vndè nulla eſt redemptio.

Vtrum animæ ſeparatæ igne illo inferni torqueantur.

RESOLVTIO.

Dicendum eſt ſecundum D. Th. in 4. ſent. diſt. 44. Q. 3. art. 3. & Dominic. Sot. ibidem diſt. 50. Q. vnic. art. 2. quòd ſic. nam eadem eſt de animabus ratio, quæ de dæmonibus, demones autem ab illo igne patiuntur, à quo ſunt paſſura Damnatorum corpora poſt reſurrectionem, iuxta illud Mat. 25. Ite in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius, ergo & animæ patiuntur ab illo. præterea, pœna debet reſpondere culpæ: ſed anima per culpam, corpori ſe ſubiecit

per

per prauam concupiscentiam, ergo iustum est, vt in pœna, rei corporeæ. s. igni inferni subijciatur per passionem. Sed Quæritur hic quomodo anima vniatur igni. dicamus, quòd anima vnitur illi igni corporeo nō tanquàm actus primus. s. non tanquàm forma ipsum viuificans, vt ex ambobus fiat vnum viuens, quo pacto neque dæmon, neque humanus spiritus corporeo igni vniri valet, sed vt mouens mobili; Vndè ille ignis inferni hoc virtute Dei habet, cuius est instrumentum, vt perinde velut ergastulum animas teneat, & coerceat, quamuis ab eis non informetur, vt corpus tenet animam, qua animatur. & hoc modo anima cruciatur ab illo igne per propriam eius actionem. supernaturaliter tamen, quia Deus tanquàm instrumento suæ Diuinæ iustitiæ, illo vtitur igne ad cruciandos Dæmones, & animas impiorū. patet itaq; ꝙ sicuti anima vnitur corpori tanquàm actus ipsum viuificans: ita supranaturaliter anima in inferno vnitur igni, non quòd ipsum viuificet, (vt dictum est) sed quòd ab ipso patiatur, & hoc loco detineatur, quòd naturaliter ab igne fieri non posset: nam licèt spiritus definiatur loco, non tamen naturaliter ei subditur, vt vi detineatur ab illo, sed patitur ab illo igne, tamquàm instrumento Dei, & similiter ibi diuinitùs detinetur, ne exire possit. Vndè manifestum est quòd in igne infernali detinentur animæ damnatæ, & Angeli damna-

ti, quæ animæ, & qui Angeli ab illo igne corporeo realiter cruciantur, qui ignis essentialiter est detentus, & conseruatus à Deo in Centrum terræ, vt superius dictum fuit.

Vtrum iudicium vniuersale sit futurum.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum Tho. in 4. sent. dist. 47. Q. 1. art. 1. & Scotum ibidem Q. 1. & alios Doctores, quòd Catholicè, & firmiter tenendum est, in seculi consumatione venturũ esse Christum, qui generali iudicio iudicaturus est viuos, & mortuos: & qui hoc negat hæreticus est censendus. dicitur enim Ioan. 5. procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem Vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij. & Matt. 25. congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis: & statuet oues quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris, s. bonos à dextris, malos autem à sinistris. & Isaiæ 3. Dominus ad iudicandum veniet cum senioribus populi sui. & Ioel. 3. congregabo omnes gentes, & deducam eos in vallem Iosaphat, & disceptabo ibi cum eis. pro cuius euidentia sciendum est, quòd duplex est iudicium, quo homo iudicatur. Vnum s. particulare, in quo iudicatur secundum opera sua. de quo, Apocalyp. 14. opera illorũ sequuntur illos. Aliud

est

est vniuersale, de quo fit mentio in Ioel. 3. congregabo omnes gentes, &c. Si quis verò vestrum obijceret, dicendo, quòd Deus non iudicat bis in idipsum, vt dicitur Naum. 1. respondeo, quòd omnipotens Deus in iudicio bis non iudicat hominem: si enim punit animam in morte, non punit totum hominem; quia anima non est homo, sed pars hominis. ideò cùm totus peccauerit corpore, & anima, totus puniendus est, aut præmiandus, quòd erit in iudicio vniuersali. & dicitur vniuersale, quia bonos, & malos iudicabit, corpus & animã simul. nunc autem dicitur particulare, quia animæ particularium hominum iudicantur solùm secundum animam, non autem secundum corpus: nec tamen (vt dictum fuit) Deus bis iudicat in idipsum, quia, (vt ait Th.) non duas pœnas pro vno peccato infert, sed pœna, quæ ante iudicium complete inflicta non fuerat, in iudicio vltimo, & vniuersali complebitur. & sic impij in illa Die iudicabuntur, & peribunt quo ad corpus, & animam simul: boni verò præmiabuntur similiter in corpore, & anima simul. Vnde, boni audient illam sententiam dulcissimam. Venite benedicti patris mei percipite Regnum &c. Mali verò illam amarissimam. Ite maledicti in ignem æternum. Iudicio tamen discussionis neq; omnes electos, neque verò cunctos reprobos opus erit iudicare. præterea, cùm duæ sint iudicandorum partes electorum scilicet, & repro-

& reproborum, bini ordines in singulis continentur, vt quatuor resultent ordines. Alij enim iudicantur, & pereunt, nempè iniqui Christiani, quibus dicitur. Esuriui, & non dedistis mihi manducare, &c. Alij iudicantur, & Regnant, vt boni Christiani, quibus dicitur. Esuriui, & dedistis mihi manducare, &c. Alij non iudicantur, & pereunt, nempè infideles, quibus ait Christus. qui non credit, iam iudicatus est. Alij verò non iudicantur, & regnant, vt qui non solùm, quòd Lex præcipit, implere contenti sunt, sed, & quòd ad perfectionem consulitur, adhibere student. De quibus Proph. ait. Dominus ad iudicandum veniet cũ senatoribus populi sui. Iudicium autem vniuersale, in valle Iosaphat futurum existimatur; ait enim Propheta Iohel. 3. congregabo omnes gentes, & deducam eos in vallem Iosaphat, &c. Vndè Dominus apparebit ad iudicandum in forma humana, sed tamen dotibus gloriæ fulgentissima. & boni formam serui, & formam Dei conspiciẽt. iniqui verò formam serui tantùm; ratio est, quia mali non sunt mundi corde. patet igitur, quòd iudicium vniuersale futurum verè est.

Vtrum mundus sit innouandus.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum. D. Tho. in 4. sent. dist. 48. Q. 2. art. 1. quòd mundus sine dubio*

bio innouandus est, vt perpetuò maneat innouatus. & hoc probatur autoritate, & ratione. primò aut. Isa. 65. dicentis. Ecce ego creo nouos Cælos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora. & Apocalyp. 21. Vidi Cœlum nouum, & terram nouam: primum enim Cœlum, & prima terra abijt. Secundò ratione, quæ est ista, Habitatio debet habitatori congruere: sed homo, qui huius mundi est habitator, innouabitur, ergo & mundus, qui est factus, vt sit habitatio hominis, innouandus est. cùm igitur mundus, (vt dictum est) propter homines fuerit conditus, congruum est, diuinæq; sapientiæ condecens, vt secundum varios humani generi status, variè disponatur: quandiu autem vita hæc humana mortalis durat, duplicem vtilitatem nobis exhibet mundus: seruit enim nobis primò ad alendum, propagandumq; genus nostrũ, per terræ nascentia, & animalium auxilia: Secundò, ad habendam cognitionem per hæc, Dei Opt. Max. inferiora; per hæc enim visibilia, (vt Apost. dicit) sempiternam Dei virtutem contemplamur: ergo his transactis necessitatibus, humanoque genere innouato, congruit, vt mundus quoq; innouetur. iam enim inde à resurrectione carnis, neque homo mundo indigebit ad viuendum, (quoniam erit tunc immortalis, impassibilis, cibis non egens, & impeccabilis:) neq; ad Deum contemplandum, quippè cùm, in illa æternitate, Deum facie ad fa-

ciem contemplabitur. Vndè, manifestum est, quòd mundus innouabitur, & perpetuò manebit innouatus.

Vtrum motus corporum cęlestium per illam innouationem sit cessaturus.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D.Thom. in 4.sent. dist.48.Q.2.art.2. & Dom. Sot. ibidem. Q. itidem.2. art.2. quòd, motum cœli, in illa mundi innouatione, cessare, potest considerari dupliciter. Vno modo, quòd ille motus debeat cessare ex aliqua causa naturali. & sic motus cœli non cessabit, quia, vt volunt philosophi, motus cœli est æternus. Alio modo, quòd ille motus cesset in illa innouatione, ex aliqua causa supernaturali, scilicet Diuina voluntate faciente. & sic, sine dubio, secundum Catholicam fidem, dicendum est, quòd motus corporum cœlestium cessabit in illa mundi innouatione; ratio est, quia cùm à Deo sit præfinitus, & certus numerus electorum, oportet, quòd generatio hominum non in perpetuum duret; similiter nec alia, quæ ad generationem hominis ordinantur, sicut est motus cœli, & variationes elementorum. præterea, cessante tempore, debet etiam cessare motus cœli, sed tempus cessabit tunc, scilicet in illa mundi innouatione, ergo & motus cœli cessabit sine dubio; Antecedens

patet;

patet: probatur cōsequens per illud Apocalyp.10. iurauit Angelus per viuentē in secula, quòd postquàm septimus Angelus tuba cecinerit: scilicet vt mortui resurgant, tempus amplius non erit, si non tempus, ergo nec motus. vlterius, corpora cœlestia facta sunt propter hominem, inquantum ei deseruiunt ad sustentationem corporalis vitæ; Hoc autem modo, corpus cœleste seruit ei per motum, in quantum per motum Cœli, multiplicatur genus humanum, & generantur plantæ, & alia animalia, quæ vsui hominum sunt necessaria, & temperies in aere efficitur conseruans sanitatem; Vndè, homine glorificato, motus cœli cessabit; quia homo, illo motu non indigebit amplius, sed omnes perfectiones, in Dei visione habebit. patet igitur, quòd motus corporum Cœlestium, per illam mundi innouationem, cessaturus est.

Vtrum mundus sit purgandus per ignem?

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D.Tho. in 4. sent. distin. 47. Q. 2. art. 1. quòd mundus debet purgari per ignem, quæ purgatio vocatur innouatio mundi, qui circa tempus iudicij innouabitur, vt superius dictum est, & illud magis tenetur auctoritate scripturæ, & sanctorum, quàm ratione. Vndè, in Psal. 49. dicitur ignis in conspectu eius ardebit &c. & 2. pet. Vlt. Cœli arden-

tes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent: & ideò purgatio illa per ignem fiet, qui quidem ignis creditur esse eiusdem speciei cum igne nostro. Quòd persuadetur sic, futura purgatio mundi erit per ignem, sicut prima fuit per aquam, sed aqua illa fuit eiusdem speciei cum aqua elementari, ergo ille ignis erit eiusdem speciei cum igne nostro. præterea, si quæratur, an illa purgatio præcedat iudiciũ Dei, an sequatur; dicendum est quòd præcedet, secundum illud Psal. ignis ante ipsum præcedet. & hoc etiam patet sic: Resurrectio mortuorum præcedet iudicium, simul autem erit resurrectio mortuorum, & glorificatio corporum Sanctorum: resurgent enim cum corporibus gloriosis, simul etiam glorificabuntur corpora sanctorum & renouabuntur elementa: cùm ergo purgatio mundi per ignem sit dispositio vel actio ad prædictam renouationem, manifestè sequitur, quòd hæc purgatio præcedit iudicium. & sic manifestum est, quòd mundus per ignem purgandus est.

Vtrum beatitudo sanctorum sit maior futura post iudicium, quàm ante.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D.Tho. in 1.2. Q.4. art.5. & Dur. in 4. sent. distin. 49. Q.7. quòd, sine dubio maior erit gloria beatorum post iudicium, quàm ante, ratio est ista, quia

quia beatitudo tunc erit non solùm in anima, sed etiam in corpore: in anima simpliciter: in corpore autem secundum quid. & ideò ipsius animæ beatitudo augebitur extensiuè, in quantum anima non solùm gaudebit de bono proprio, sed etiam de bono corporis, cui vnita erit. præterea, sicuti bonis beatitudo redditur pro præmio, ita & malis miseria: sed miseria malorum, post resurrectionem corporum, erit maior, quàm antè; quia non solùm in anima, (vt suprà dictum est) sed etiam in corpore punientur, scilicet non solùm in anima quo ad intellectum, & voluntatem, sed etiam in corpore, quo ad sensualitatem; ergo & beatitudo Sanctorum erit maior, post resurrectionem corporum, quàm ante. & sic patet, quòd beatitudo sanctorum erit maior post, quam ante iudicium.

Vtrum beatitudo solùm sit in patria.

RESOLVTIO.

Dicendum est, quòd duplex est beatitudo; vna vera, & altera apparens. vel vna essentialis, & altera accidentalis. Vera beatitudo non potest esse nisi in patria, scilicet in Regno Cœlorum, in quo Deum facie ad faciem videbunt omnes boni. Beatitudo verò apparens, siue accidentalis, est omne illud, quòd extra visionem Dei reperitur. Vera igitur beatitudo solùm consi-

stit in visione Diuinæ essentiæ. Apparens verò, non nisi in hoc mundo, scilicet in pecunia, delectatione corporali, & in cæteris huius mundi rebus temporalibus consistit. quòd autem beatitudo solùm sit in patria scilicet in Regno Cælorum: probatur sic, vbi cor nostrum quiescit, & appetitus noster satiatur, ibi est vera beatitudo. sed cor nostrum non quiescit, & appetitus noster satiari non potest nisi in patria, scilicet in visione Diuinæ essentiæ, ergo vera beatitudo solùm in patria reperitur. maior patet, quia vbi reperiuntur omnes perfectiones, ibi etiam vera reperitur beatitudo; sed vbi cor hominis quiescit, & voluntas illius satiatur, reperiuntur omnes perfectiones: igitur vbi cor hominis quiescit, & appetitus illius satiatur, vera reperitur beatitudo. minor probatur aut. Beati August. dicentis, fecisti nos Domine ad te, & semper inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te, & exemplo Dauidis altera minoris pars probatur. Vna vice, disposuit Deus inuenire hominem secundum cor suum; sed inter homines vnum reperit scilicet Dauid: quo inuento, dixit ei Deus, pete à me quod vis, & dabo tibi. à quo quinque petijt. primò petijt nobilitatem. qua habita, dixit ei Deus. es ne contentus? non Domine. Da mihi secundum, scilicet vxorem pulchram. cui dedit Michol. Dedit & tertium, quia fecit eum capitaneum. dedit & quartum, scilicet victoriam con-

tra Philisteos. dedit & quintum, scilicet Regiam dignitatem. cui Deus dixit, es ne adhuc contentus? Respondit non Domine, sed satiabor cum apparuerit gloria tua. quòd autem hæc voluptas mundana sit apparens beatitudo, patet; quia non est delectatio corporis nostri, & mundi huius, quæ diu durare possit, imò statim transit. & dicam vlteriùs, quòd non solùm voluptas transit, sed etiam ipse homo, & totus mundus iste, (qui propter hominem, vt ipso vteretur, factus est) pertransibit. illud autem, quod non durat, non est verum bonũ, & vera beatitudo. quid enim habet homo in hac valle miseriæ, nisi calidum, frigidum, famem, sitim, infirmitatem, & denique ipsam mortem; & cui est similis homo, nisi cuidam aceruo niuis, qui sicut à calore resoluitur, sic homo putredine terræ, cinis efficitur. patet itaquè ex superioribus, quòd beatitudo vera solùm in patria reperitur, scilicet in visione Diuinæ essentiæ.

Vtrum damnati vellent plus non esse, quàm esse in miseria pœnæ.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D.Tho. in 4.sent. dist.50. Q.2.art.1. & Dur. ibidem. Q.2. quòd voluntas potest cõsiderari dupliciter. Vno modo vt est natura quædam. Alio modo, vt est deliberatiua voluntas. si consideretur primo modo,

modo, vt scilicet est natura quædam, sic nullo modo potest appetere non esse, quoniam non esse priuat totum bonum, malum verò pœna non priuat nisi vnum oppositum; non enim negat nisi gaudium, vel delectationem. & ideò naturali desiderio nullus potest appetere non esse, ad vitandum quodcunque malum, & pœnale esse, quia natura non odit pœnale esse nisi propter desiderium quietis ab illa pœna. Vndè, si quis diceret vellem non esse magis, quàm miserum esse. respondebo, mentiris: quia cùm esse miserum nolis, esse tamen vis. Si verò voluntas consideretur secundo modo, vt deliberans; tunc aut sequitur rationem rectã, aut rationem falso errore deceptam; si sequitur rationem rectam, tunc dicendum est, quòd miserum esse quacunque miseria pœnæ magis est eligibile, quàm omninò non esse. nam non esse simpliciter est maius malum, cùm tollat esse totale, esse verò pœnale non tollit nisi esse partiale. Vndè, dicimus, ꝙ esse in miseria pœnæ est minus malum: sed de duobus malis maius est magis fugiendum c. Duo mala dist. 13. ergo nullus simpliciter potest appetere non esse, quod est maius malum, ad fugiendam ipsam pœnam: vt dolorem, & tristitiam, quæ est minus malum. Si autẽ voluntas sequitur rationem erroneam; sic potest appetere magis non esse, quàm miserum esse: quoniam voluntas veluti Damnatorum credit, quòd per non esse excludatur pœna

eorum:

eorum: & ideò appetunt damnati cõtra rationem non esse ad fugiendam pœnam. Vndè, hinc elicere possumus, quòd nullus debet se interficere ad fugiendum peccatum, nec minùs debet aliquod membrum, puta virile, abscindere, ad hoc vt fugiat fornicationem: vt faciunt nonnulli stulti, qui infligunt sibi mortem, vel virilia abscindunt, vel linguam, vel manum, ad hoc, vt fugiant peccata, quæ per illa membra instrumentaliter committuntur; & ideò illi qui se totaliter interficiunt, credunt se habere quoddam esse occultum, in quo non possint peccare, sed hoc omninò bestiale, ac diabolicum est; quoniam qui vult dare sibi mortem, & non esse, vt fugiat peccatum, incidit in aliud graue peccatum mortale. sed benè debet vnusquisque sustinere mortem ab alio inflictam, & non à se, quàm mortaliter peccare. quoniam melius est mori, quàm contra bonum virtutis facere, & turpiter viuere. & sic patet, quòd nec homines Damnati, neq; dæmones possunt secundum rectam rationem appetere non esse, ad fugiendum malum pœnæ, quoniam obiectum voluntatis est bonum, sed non esse non habet aliquid boni, neq; veri: igitur illud appeti non potest. præterea, quandocunque aliquid appetitur propter aliud, vel habendũ, vel fugiendum, tunc tale, vel est bonum verum, vel apparens bonum: ideò si dæmones, & damnati appetunt non esse, non appetunt non esse verum,

sed

ſed appetunt nō eſſe apparens. credunt enim quòd per non eſſe excludatur omne malum, ſed non aduertunt, quòd per non eſſe excludimur ab omni bono, vt dictum eſt. & ſic manifeſtum eſt, ꝙ Damnati non poſſunt ſecundum rectam rationem appetere non eſſe, ſed benè ſecundum rationem erroneam, ſecundum quam intelligitur illud Apoc.9. in diebus illis deſiderabunt homines mortem, & fugiet mors ab eis.

Vtrum damnati nolint ſe peccaſse.

RESOLVTIO.

D*Icendum eſt ſecundum D.Bonau. in 4.ſent. diſt. vlt. art. 1, Q.1. quòd damnati nollent ſe peccaſſe, non cum diſplicentia peccati, ſed cum diſplicentia pœnæ; viuente adhuc in eis peccandi voluntate. ideò ſic intelligendum eſt in damnatis, quòd dolor pœnalis aufert ab ipſorum voluntate actum volendi peccare: quia damnati non appetunt luxuriari propter pœnas, quas ex illis actibus ſentiunt ſe incurriſſe: habent tamen habitum malæ voluntatis, per quam appeterent peccare, ſi non crederent ſe ex hoc puniri. cùm ergo quæritur, an damnati nolint ſe peccaſſe, dicendum eſt, quòd nolunt, non propter hoc, quòd peccatum eis diſpliceat, quia iniuſtum: ſed quia eis diſplicet pœna iuſta: & ideò malam habent voluntatem hoc volendo: & ſic adhuc viuit in eis voluntas*

luntas peccandi, licèt dolore pœnarum impediatur, ne exeat in actum suum. Vndè, manifestum est, quòd damnati nollent se peccaße ratione pœnæ æternæ, quam patiuntur.

Vtrum damnati gloriam beatorum videant, & beati eorum pœnam.

RESOLVTIO.

DIcendum est secundum D.Thom. in 4.sent. dist. vlt. Q.2. art. 4. & Dur. ibidem. Q. 3.& Scotum loco citato. Q.3.quòd damnati ante diem iudicij, videbunt Beatos in gloria existentes, visione intellectuali, non tamen hoc modo, quòd gloriam eorum, qualis sit cognoscant, sed solùm perpendent intellectualiter eos esse in gloria quadam inæstimabili, & ex hoc turbabuntur, tum propter inuidiam, dolentes de fælicitate eorum, tum propter hoc, quòd ipsi talem gloriam amiserunt, vt dicitur Sap. 5. de impijs. Videntes turbabuntur timore horribili. post diem verò iudicij, omninò beatorum visione priuabuntur, nec tamen ex hoc eorum pœna minuetur, sed augebitur; quia recordabuntur gloriæ tam corporis, quàm animæ, quam in eis viderunt, & cognouerunt, & hoc erit eis in tormentum magnũ. Si autem loquamur de Beatis, tunc dicendum est secundum Scotum, loco citato, quòd beati poßunt cognoscere aliquid dupliciter. Vno modo in pro-

prio genere, seu cognitione sensibili. Alio modò in verbo, siue in speculo essentiæ Diuinæ. & nota, quòd cognoscere aliquid in verbo, idest in essentia Diuina, nihil aliud est, quàm per cognitionem, qua cognosco essentiam Diuinam, & per illam cognoscere aliquam creaturã: tunc illa creatura, quæ cognoscitur, dicitur cognosci in verbo. Quantum igitur attinet ad primum modum, sine dubio beati in paradiso existentes non possunt pœnas damnatorum, ob indebitam, & improportionatam inter obiectum, & potentiam, distantiam, videre. nam nimis distat Cœlum à terra, gloria beatorum à pœna damnatorum. Quantum verò spectat ad secundum modum, distinguendum est de ipsis pœnis; vel enim loquimur de pœna damni, & sic à beatis huiusmodi pœna cognosci in verbo non potest, quia cùm priuatio Diuinæ beatitudinis, (sicut etiam culpa) non sit ens, non habet in Deo ideam, seu representatiuum quodpiam, sed talis priuatio cognoscitur per aliud, scilicet per habitum, vt dicit Philosophus. vel loquimur de pœna sensus, cuiusmodi est pœna ignis, remorsus conscientiæ tristia, & huiusmodi: & sic beati in Cœlo Empyreo existentes, possunt in verbo, omnem pœnam sensus damnatorum existentium in inferno videre; ratio est ista, quia pœna sensus est ens positiuum, quod suam habet ideam in verbo, idest potest cognosci in verbo, scilicet in no-

titia

titia habita de Diuina essentia, per quam cognoscitur verbum, vel essentia. Quòd autem congruum sit, quòd beati pœnas damnatorum cognoscant, patet per D. Tho. & Dur. locis citatis. inquiunt enim isti, nihil quod est perfectionis subtrahendum est beatis, & maximè si ordinatur ad laudem Dei; sed quòd beati cognoscant pœnas malorum, hoc pertinet ad perfectionem gloriæ eorum, est enim materia laudis Diuinæ, dum sancti per gratiam Dei euaserunt pœnas, quas miseri peccatores incurrerunt; ergo vt beatitudo Sanctorum eis magis placeat, & vt de eis vberiores gratias Deo agant, rationabile est, & congruum, quòd pœnas malorum cognoscant. & sic patet, quòd beati ante, & post iudicium (vt etiam dicit Magist. sent.) videbunt pœnas damnatorum sensibiles. mali autem ante iudicium, in generali, cognitione intellectuali videbunt bonos in patria existentes: post iudicium verò minimè, sed tantùm memoriam habebunt gloriæ eorum; & hoc eis ad magnum erit tormentum, vt dictum est.

Vtrum beati lætentur de pœnis damnatorum.

RESOLVTIO.

D*Icendum est secundum D. Tho. in 4. sent. dist. vlt. Q. 2. art. vlt. quòd aliquid potest esse materia gaudij dupliciter. Vno modo per se, sci-*

licet quando de aliquo gaudetur in quantum huiusmodi: & sic Sancti, & beati non lætabuntur de pœnis impiorum. Alio modo per accidens, idest ratione alicuius adiuncti, & hoc modo, beati de pœnis impiorum gaudebunt, considerando in eis Diuinæ iustitiæ rectitudinem, & suam liberationem. Vndè, Diuina iustitia, & sua liberatio erunt per se causa gaudij beatorum, sed pœnæ damnatorum per accidens. præterea, sciendum est, quòd simpliciter loquendo, Deus, & beati nolunt damnatorum pœnas, sed solùm secundum quid, idest propter iustitiam, & reordinationem culpæ: imò si placeret Deo, beati vellent eorum liberationem, aut saltem non displiceret eis, si soluerentur à pœnis; non enim libenter vident eos in igne esse condemnatos, nisi quatenus ita ordinatum est à Deo: nec per hoc tristantur beati, quoniam conformant se Diuinæ voluntati; & cùm teneantur conformare voluntatem suam voluntati Diuinæ in volito, & voluntas Diuina velit istas pœnas esse in illis, consequens est, quòd etiam beati velint damnatos in igne æterno cruciari. tu dices, igitur gaudebunt beati vidẽtes, & volentes pœnas: dico, ꝙ sic, lætabitur enim iustis cùm viderit vindictam, (vt dicit Propheta Psal. 57.) & hoc ideò erit, quia videbunt istas pœnas infligi secundũ Diuinam iustitiam. patet igitur, quòd beati, secundum Dei iustitiam, de pœnis impiorum lætantur.

Vtrum

Vtrum damnati habeant Deum odio.

RESOLVTIO.

Dicendum est secundum D.Tho. in 4. sent. dist. 50. Q.2. art. 1. Quæst. 5. quòd Deus potest considerari dupliciter. Vno modo ratione sui, & sic nullus Deum odire potest: quoniam Deus in seipso, cùm sit per essentiam bonus, non potest alicui voluntati displicere. Vndè, quicunque eum per essentiam videt, eum odio habere non potest. Alio modo potest considerari Deus ratione quorundam iustitiæ effectuum, qui voluntati repugnant, in quantum contrariantur alicui: & sic aliquis hoc modo Deum odire potest. Damnati ergo Deum percipientes in effectu iustitiæ, qui est pœna, eum odio habent; sicuti etiam pœnas quas sustinent. Vndè, manifestum est, quòd Deum odio habent damnati, non in seipso, scilicet ratione suæ Diuinæ essentiæ, quæ est ipsa bonitas, sed respectu quorundam effectuum, scilicet ratione pœnæ sensus, & damni, quæ quidem pœna, est effectus iustitiæ Diuinæ. & hæc satis dicta sint. Si quæ autem inordinatè, & contra veritatem Sanctæ Matris Ecclesiæ fortè dicta essent, tanquàm non dicta sint. me enim primò Domino, & Patri meo Iesu Christo, secundariò autem S. Matris Ecclesiæ penitùs subijcio.

Laus Deo Opt. Max. Qui Trinus, & Vnus est

FINIS.



AD EXCELLENTISS.


PAVLVM FRANZOSVM

Doctorem Theologum.

MALFACTI SALVATORIS

Iuris Vtr. Doct. Tridentini.

Epigramma.



Mmensus, pulcher, velox describitur orbis,
Et tempus sapiens, æthereumque canunt.
Tu velox; volitas etenim super æthera mente:
Magnus, quòd morum te Dea magna colit;
Virtute es pulcher, sapiens cœlestis origo;
Est in te mundus: tu Deus alter humi.

PETRI ALBERTI BENACENsis Aliud.

M*Vndi prudentes quærebant plurimi, an vnus*
Esset ab æterno numine dispositus.
Tu; qui vnum vno ictu velox percurris, an esse
Plures inspectes feruidus ingenio?

Andreæ

ANDREAE MALFACTI
Iur. Vtr. Doct. Brentonicensis, Prætoris Ripæ.

Epigramma.



Piritus Aetereus cùm sit tibi, Paule, Quærens
Cœlica, tu viues tempus in omne memor.
Cùm Sacræ Sophiæ nectas, nodosque resoluas,
Nomine, & ingenio Paulus altereris.

FRANCISCI CONTARENI,
Thadæi Patritij Veneti Filij, Philosophiæ Doctores, Aliud.

QValis apes varios decerpit sedula flores,
Et cogit pressis dulcia mella fauis;
Talis, quæ varij scripserunt ordine longo
Paulus in hunc magna congerit arte librum,
Atq; hoc exiguo cultoq; volumine claudit,
Plurima quæ nobis vix monumenta dabant:
Tantum ergo ille alijs maior censebitur esse,
Quantum pars toto dicitur esse minor.

FINIS.



BRIXIAE,

APVD Polycretum Turlinum. 1592.

Permissu Superiorum.

[illegible] 3 | 2
[illegible] 3 | 4
[illegible] | 3
[illegible]
[illegible] | 1
[illegible]
[illegible] | 1
[illegible]